



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

December.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

December.



CONSIDERATIONES
CHRISTIANÆ.

pro singulis Anni diebus.

D E C E M B E R.

DIES I.

De Modo Tempus Adventus
sanctè transigendi.

I.



D dies Adventus Dominico
sacros sanctè transigendos,
cum Ecclesia sentire, ejus-
que intentiones sequi nos
debet. Hæc, cum tem-
pus hoc instituit, eò men-
tem intendit, ut Deum in utero Matris
sue humana carne indutum honoret, cum
ipso se uniat, atque ita, sicut ipse, ani-
mo affecta sit. Prima animi affectio Ver-
bi incarnati fuit tam profunda sui ipsius
depressio, ut Apostolus dicat, eum in
humanitatis à se assumptione *semetipsum*

Phil. 2. 7.

exi.

exinanisse. Cum non solum homo factus sit, sed naturam humanam in statu abjectissimo assumpserit; nec infans fieri contentus, assumptam servi, & peccatoris formam, omnibus miserijs, quae à peccato oriuntur, se submiserit. Ad honorandam exinanitionem, in quam Dei Filius nostri amore se demisit, illius memoriam pie recolere saepius per diem nos oportet, atque SS. Angelis nos associare, quibus, ut D. Paulus docet, Pater aeternus praecipit, ut Filium suum primo assumptae carnis momento adorarent. 2. Omnem superbiae motum, & inanis gloriae cupiditatem reprimere, in extrema submissione coram Deo se continendo, ad colendam Filij Dei exinanitionem. 3. Frequenter elicere actus humilitatis tum interioris, tum exterioris, eosque cum similibus Christi actibus unire. Denique libenter acceptare depressiones, quae nobis obvenient, & felices nos reputare, quod hanc cum Deo in nihilum quodammodo redacto similitudinem habeamus.

II. Altera Filij Dei in utero materno animi affectio primo assumptae à se humanitatis momento fuit affectio consecrationis. Primus actus, quem Servator noster, adorato Patre suo, exercuit, erat,

P
eidem

December. eidem se totum consecrare, ad ejus gloriam faciendam, & hominibus salutem afferendam; ac pro ea offerre animam, & corpus, omnesque animi, & cordis sui motiones, ac simul omnibus cruciatibus, & laboribus, ad quos eum Servatoris officium obligabat, & morti ipsi se devovere; nam, ut Apostolus eum loquentem **Hebr. 10. 5.** inducit: *Pater, sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem adaptasti mihi: hoc tibi victimarum illarum loco, plenissimo mentis affectu offero.* Ad honorandam hanc Servatoris animi affectionem, æquum est, ut similes nos ei reddamus, & bis saltem, terte de die penitus ei consecremus animam, corpus, & cor nostrum, omnesque ejus motus, nosque ad omnia offeramus pro ipso agenda, & toleranda; atque felicissimos nos æstimemus, quod ipsius servi, & hoc nomine penitus ei subjecti simus.

III. Tertia animi affectio Filij Dei in utero materno fuit affectio mortificationis, & quidem mortificationis maximæ, & prorsus universalis, & quæ concipi possit, constantissimæ; quia, cum usum rationis perfectum haberet, ad uterum matris suæ se condemnavit novem ibi mensibus moraturus, nec ullum potissimum


facul.

facultatum exercitium, vel sensuum usum Decembris
 habiturus. Ut hanc animi affectionem
 honoremus, tempore Adventus solitudi-
 nem amare, mentisque solito amplius col-
 lecti esse debemus, ut novem mensium
 carcerem ipsius imitemur. 2. Hoc tem-
 pore peculiariter nos impendere cupidi-
 tati, carni, & sensibus nostris compri-
 mendis, ut hac in re Christum imitemur.
 3. Rescindere, vel certè moderari nostras
 oblectationes, animique remissiones tem-
 pori, quod mortificationi destinatum est,
 non convenientes. Denique exemplum
 imitari tot piarum animarum, quæ hoc
 tempore jejunia, vel alia pœnitentiæ ex-
 ercitia sibi injungunt.

*Non desis tibi, quin Adventus tempore hos
 actus, Adorationis, Consecrationis, & tui ip-
 sius Abnegationis aliquoties elicias, ad honoran-
 dum Verbum humana carne indutum in his sta-
 tibus.*

Semetipsum exinanivit formam servi
 accipiens. *Phil. 2. 7.*


Magna miseria superbus homo; sed
 major misericordia humilis Deus. *Aug.*



✠

P 2

DIES

Decem^{bris}.

DIES II.

De Fine Hominis.

*De Vsu mediiorum ad hunc finem
obtinendum.*

I.

DEUS, cùm hominem creavit, non potuit eum non amare, suumque amorem beneficijs eidem testari, procreando prodigiosam rerum copiam valdè perfectarum, non modò ad illius necessitatem, sed & commoditatem, imò & delicias. Hæ res ab eo creatæ totidem divinæ, ac liberalissimæ manûs sunt munera, quæ hominem ad gratam beneficiorum memoriam obligent; sunt rivi supremi hujus boni, qui hominem admoneant, progrediendum esse ad fontem; sunt imagines visibiles pulchritudinis hujus non visibilis: an creaturas hunc in modum consideras? an rivus te ad fontem perducit? an ab Ectypo ad Archetypum transis? an, dum recipis donum, oculos levas ad liberalem Dei manum; quæ illud tibi tribuit?

II.

II. An non contrarium ag's ? an non, December.
cùm te gratum, ac beneficiorum memorem probare Deo deberes, è bonis ab illo tibi collatis ingrati animi sumis ansam ? an non, cùm ex hoc fonte inexhausto omnia bona haurire posses, sitim tuam levare è cœnoso quodam rivulo in cassum laboras ? an non, cùm animum, & cor tuum ab hac venustate visibili, sed imperfecta, quæ in creatis cernitur, elevare deberes ad venustatem illam non visibilem, infinite perfectam, quæ in Creatore invenitur, affectum tuum miseræ huic creaturæ affigis, nec tuo in eam amori moderaris ? an non eam loco Dei habes ? an non eam idolum tibi statuis ?

III. Ah! inter illos quoque, qui Christianorum gaudent nomine, quàm multi idololatræ inveniuntur, qui vera sibi idola cudunt, vel res creatas, vel cupiditates suas ? Et sanè an non eas votorum, & adorationum suarum scopum sibi statuere, omnia, honorem, conscientiam, salutemque suam illis immolare idem est, ac idola sibi ex illis conflare ? an non es è numero horum idololatrarum ? D. Paulus avaritiam appellat idololatriam : *avaritia, quæ est idolorum servitus.* Si bona per injustitiam congeris, vel immoderata cupiditate

December. *rate possides, an non saltem per tuam
vivendi rationem cum avaro illo in SS.
Litteris dicis? Dives effectus sum; inveni i-
dolum mihi. In quo omnem meam confi-
dentiam ponam, propter quod omnia
agam, cui me totum dedicem: Perdam,
inquit Dominus, idolum cum suo idolo-
latra. Quantum horrorem hae minae vero
huic idololatrae, & ficto Christiano incu-
tere deberent?*

Osea 12. 8.

*Scrutare cor tuum, ut videas, an non in
eo idolum quoddam locum Dei obtineat; an
non creatura aliqua ibi dominetur, quae de
dominio cum Deo certet; & statue quantocius
idolum illud ejicere.*

*Aut avarus; quod est idolorum servi-
tus. Ephes. 5. 5.*

Sanctum est, quodcunque placet. Aug.

DIES III.

De Proprietatibus Veri Zeli

I.

Zelum salutis fratrum nostrorum omnes
habere debemus: sed ut is verus, &
perfectus sit, à charitate animari, à pru-
dentia dirigi, à mansuetudine temperari
debet. Charitas veri Zeli origo esse de-
bet.

bet. **Zelus** fallus est, qui vel à ferventi **Decembris**, naturæ impetu, vel ingenito multa præstandi pruritu, vel ex occulta quadam ambitione oritur. Hi omnes Zeli nomen haud merentur: verum ille solus, qui charitate animatur: atque iste ardens est ad amplectenda omnia media, quæ aliorum saluti expedire possunt; quantumvis ea difficilia sint. Constans est, qui difficultatibus terreri se non patitur, universalis, qui neminem excipit. Tali Zelo flagavit D. Franciscus Xaverius, cujus hodie festa dies celebratur. Hujus viri Zelus erat ardentissimus, cum alios ei limites non statuerit, quam limites universi terrarum orbis. Fuit constantissimus; quia neque maria, neque tempestates, neque naufragia, neque mortis pericula, quibus millies sese exposuit, eum deterrere potuere. Denique fuit universalis, quia omnes nationes, Christianos, ethnicos, barbaros, omnes status & conditiones, Reges, Principes, Magnates, plebejos, pauperes, divites, servos, liberos, & peccatores penitus desertos complexus est.

II. Zelus dirigi debet à prudentia. Zelum quidam habent temerarium; qui non secundum scientiam est, ut Apostolus

December. loquitur. Verum Zelum prudentem esse oportet. Prudentia verò Zeli in eo versatur, ut à seipso initium capiat. Salus nostra primus Zeli nostri scopus sit, necesse est; & sanè stultitia foret de sanctitate alijs conferenda cogitare, neglectâ propriâ. *Eccles. 37. 25.* *Est sapiens animæ suæ sapiens, inquit Spiritus sanctus.* Talis erat Zelus D. Francisci Xaverij; qui de alijs ad bonam frugem, & fidem Christianam convertendis non cogitavit, priusquàm se perfectè convertisset; sanctitate seipsum imbuendo, ad eam utiliter, & efficaciter animabus conferendam se præparavit, & prælio, quo animi sui motus subegit, ad dæmonem, & mundum profligandum se reddidit habilem. Victoria, quam de se ipso reportavit per actus mortificationis heroicæ, generosi mundi contemptus, profundæ humilitatis specimen quodammodo fuit, & simul medium, ad felicem sortiendum exitum; uti factum est in animabus ad Deum adducendis. Ah! quàm potens est homo, qui Deo perfectè se submitit, ad alios eidem submitteudos?

III. Verus denique Zelus mansuetudine temperandus est. Zelus, & mansuetudo, duæ sunt virtutes, quæ sociari inter se posse non videntur, & quemadmodum

modum eorum confociatio difficilis, sic **December.**
& rara est. Licet dilectus Christi discipulus mitissimus esset, ubi motibus Zeli sui adversus Samaritanos abripi se passus est, mansuetudinis suæ adeò fuit oblitus, ut ignem è cœlo ad illos absumendos evocare vellet. Quis unquam ardentiori Zelo animas in salutis viam perducendi flagravit, quàm sanctus Indiarum Apostolus? Maximi omnium peccatores, omnique ope destituti erant ij, quos cum majore solitudine conquirebat, magnitudine miseriarum, queis premebantur, ipsius commiserationem, & amorem magis, magisque inflammante: imò non inveniebatur peccator, quantumcunque obstinatus, qui solerti ipsius Zelo, & fascino, ut ita loquar, affabilitati se non dederet. Is modò non minori Zelo, & comiseratione erga peccatores in cœlo fertur, quàm ferebatur in terra degens; atque ipsius potestas major est.

Accede igitur ad ipsum ad impetrandam veram conversionis gratiam: in quocunque enim statu vivimus, emendatione nobis opus est.

Ponam Zelum meum in te. *Ezech. 23.*

r. 25.

Quò Zelus firmior, & vigilantior, est opus scientiâ, quæ Zelum supprimat,

December. Spiritum superet, ordinet charitatem,
Bern.

DIES IV.

De Pretio Animæ Nostræ.

*Anima nostra pretium nos obligat,
ut nulli parcamus labori ad salutem æter-
nam consequendam.*

I.

SI animæ nostræ pretium cognoscere-
mus, tam exiguam ejus curam non ge-
reremus, nec tam facile æternas pœnas
incurrendi periculo eam exponeremus.
Deus solus, qui eam creavit, illius novit
pretium. Ea est opus manibus ejus di-
gnum, operum ipsius caput, & elegantis-
sima ipsius imago; spiritus, sicut ipse, in-
telligens, immortalis, sicut ipse, nemini-
que nisi ipsi cedit. Spiritus cum sit, totus
terrarum orbis, quantumvis elegans, &
perfectus sit, quia materiã constat, nec
perfectione illam æquare, nec cum ea
comparari, nec, quod inde sequitur, eam
saturare potest. Cum immortalis sit, to-
tum id, quod moritur, totum id, quod
transit, vel transire potest, reddere illam
se.

felicem non valet: necessarium proin est, December,
ut id, ad quod tendit, sit immortale, sit
æternum: hoc autem non nisi Deus esse
poteft.

II. Eandem, quam Deus, de animæ
pretio opinionem concipere debemus.
Ipsius iudicium nostri esse regula debet.
Quidquid is facit, siue ad naturæ, siue gra-
tiæ attendamus ordinem, ad animæ salu-
tem refert, nec quidquam, nisi hunc in fi-
nem procreat; huc curæ omnes Providen-
tiæ divinæ collimant: *omnia propter ele-
ctos*, inquit Apostolus: si filium suum in
mundum mittit, si vult ut humanum sibi
corpus induat, vult, ut in Cruce moria-
tur, id ob animæ salutem contingit; ut
proin eam pluris, quàm vitam filij sui æ-
stimare videatur; etsi ea rota divina sit;
cùm desideret, ut is illam istius animæ sa-
luti consecret. Filius id ipsum cum Pa-
tre sentit, ac lubenti animo omnem san-
guinem suum, eam redempturus profun-
dit, ratus operam suam bene collocatam;
quòd gaudium inde capiat, nostrasque
gratulationes exoptet. Si anima tanti
in se pretij est, quanti erit, postquam IE-
su Christi sanguine redempta est? valet ea
omnem Dei sanguinem; quantum pro-
tium!

III. An

December,

III. An idem de animæ tuæ pretio cum Deo sentis? an tanti, quanti ipse, eam æstimas? si ita res se haberet, an quotidie eam pro re tantilla æterni supplicij discrimini exponeres? an diabolo diceres, quod Judas Judæis: *quid vultis mihi dare; & ego eum vobis tradam?* hanc voluptatem, hunc honorem, hoc commodum mihi da; tunc anima mea tua est. Si animam tuam tanti non facis, quanti Deus eam facit; tanti saltem eam æstima, quanti diabolus eam æstimat. Cur eam tam parvi ducis, cum Dæmon eam, ut rem pretiosissimam plurimi ducat? is omnia agit, omnia largitur, omnia promittit, ut eam impetret, & pænis sempiternis addicat; & tu nihil agere, nihil pati, nihil dare vis ad Beatitudinem æternam ei obrinendam? a n minori tuâ interest animæ tuæ salus, quàm Dæmoni, ejusdem perditio?

Matth 26.
15.

Si diabolus te tentaverit voluptatis cujusdam illicio, vel alicujus commodi spe, dicito tibi: et ipsi: quid? anima mea omni Dei sanguine valet, pretij est infiniti, & ego eam pro re tam modica darem? æternum pœnitere tanti emergere non lubet.

Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam. Io. 10. 17.

No-

Noli tam viles putare animas, quas diabolus putat esse tam pretiosas. *Salvian.* December.

DIES V.

De Desiderio Mortis.

Mors vero Christiano desideranda.

I.

Sumusne Christiani, si fidem non habemus? si verò fidem habemus, cur mortem tantopere formidamus? vel potius: quì fieri potest, ut eam non desideremus? natura necessarium nobis felicitatis obtinendæ desiderium inspirat: fides nos docet, nos perfectâ felicitate non fruituros, nisi in cælo, ubi Deum possidebimus, eademque felicitate, qua ipse, felices erimus, felicitate nempe æterna, vniuersali, infinita. Ratio nos convincit, nos, nisi per mortem hac felicitate gaudere non posse, & nihilominus tantùm abest, ut eam ardentè desideremus, ut potius eam, velut malorum omnium maximum timeamus; ad solum ejus conspectum trepidemus; nec ejus quidem mentio fieri possit, quin animo consternemur? quænam hæc discrepantia sensuum nostrorum? quænam de-

December. desideriorum nostrorum dissensio? ad supremam felicitatem pertingere volumus; & viam, quæ sola nos eò perducit, aggredi renuimus. Itaque aut fidem, aut animi sensum mutemus; aut adspirare ad felicitatem, aut mortem formidare cessemus: quæ sola nos reddere perfectè felices potest.

II. At, quæ scio, inquis, an ad hanc æternam, & infinitam felicitatem prædestinatus sim? si fides te non deficit, tum spes tibi deest. An verò hæc deesse tibi potest, si Christianus es? an ea deesse tibi potest, ubi Deus hanc felicitatem sperare te jubet? is, si te illius participem reddendi, cum eam tibi pollicetur, desiderio careret, impostor foret: potestne verò Deus nobis imponere? an spe nostra fraudari possumus? an spes tibi deesse potest, si perpendas, Deum proprium filium nobis donasse? & quid eò donatò negare tibi potest? an illa tibi deesse potest, si recordaris, filium Dei felicitatem hanc sanguinis sui pretio tibi fuisse promeritum, certissimum tibi jus contulisse, réque petere à Patre meritò posse, quod filius è purâ misericordia tibi meritus est? æternæ felicitatis consequendæ spe destitui, idem est, ac dubitare, vel de misericordia, vel de fide,

litate Dei; vel de virtute meritorum Christi. At de his omnibus dubitare, estne Christianum esse? vel potius? an non est omnia Religionis nostræ fundamenta evertere? querimus, tam parùm fidei in mundo inveniri; inveniturne plus spei?

III. Possumusne esse Christiani, si charitate destituimur? si Deum non amamus? si verò charitate non destituimur, si Deum sincerè amamus, fierine potest, ut mortem non ardentè desideremus; quæ Deum offendendi nos reddit incapaces, & felicem eundem amandi necessitatem nobis imponit, si non amore tanto, quanto dignus est, certè tantò, quanto amare eum possumus? si Deum amamus, fierine potest, quin optemus, ut ejus Regnum nobis obveniat, quemadmodum quotidie perimus? hoc Dei Regnum omni ex parte perfectum, nisi post mortem nobis obvenire, nec impleri, nisi in cælo potest: si Deum amamus, fierine potest, ut non ardentè desideremus ejus gloriam, & quidem majorem ejus gloriam; quæ in eo consistit, ut is perfectè cognoscatur, perfectè ametur? perfectam hanc Dei cognitionem, perfectumque amorem non nisi in cælo habebimus: ad cælum verò, nisi per mortem perveniri non potest. O Beata mors
plus

December. plus quàm mille vitæ mihi optanda; cùm tu sola mihi vitam amoris, & quidem amoris perfecti, vitam æternam, vitam summè felicem afferre possis!

Erubescere, quod mortem non desideres; sed multò magis immoderatè formides: hoc enim signum est, te vix habere fidem, spem, & charitatem. Et si virtutes has non habes, quis es?

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Psal. 8. v. 2.*

Qui vult esse cum Christo, patienter vivit, & delectabiliter moritur. *Aug.*

DIES VI.

De Judicio Extremo.

*Misericordia Dei Incitamentum erit,
& mensura rigoris ipsius in iudicio.*

I.

AMor Iesu Christi erga hominem, & misericordia Hominis-Dei pro illis in Cruce morientis, erunt in extremo iudicij die justissimæ non modò, sed & terribilissimæ peccatori formidandi causæ. Bonitas, & patientia extra modum magna, ubi fatigatæ, & irritatæ fuerint, in furorē

rem

rem migrant, & plerumque ab extremo December.
 amore, ubi is læsus fuit, ad odium tran-
 sinitur extremum. Quid igitur ab infinita
 Dei Bonitate irata, ejusque amore irrita-
 to, reprobis non timendum. quandoqui-
 dem ex hoc ipso amore, & Bonitate iræ,
 & vindictarum suarum capiet argumen-
 tum? nam, ah! si ita res se habet, quis
 eum placare poterit? imò reprobi opta-
 bunt, ut montes super se cadant, queis re-
 gantur, & occultentur, non à leone rugien-
 te, sed à conspectu Agni, cujus ira tantò
 magis formidanda, quantò ardentius eos
 amavit, adeò, ut pro illis immolari vo-
 luerit: *abscondite nos à facie sedentis super thro-
 num, & ab ira agni. Apoc. 6.*

II. Quòdque adhuc magis in die illa
 magna, quam Scriptura diem iræ, & vin-
 dictæ Domini appellat, formidandum e-
 rit, est, quòd misericordia Dei, id est, si-
 ple amor Iesu Christi in homines non so-
 lum futurus sit potentissimum incitamen-
 tum, sed & justissima iræ ipsius, & vindi-
 ctarum mensura: nam, eheu! quousque
 illa mensuram hanc non extendet? tanto
 in peccatores feretur odio, quanto prius
 amore ferebatur; tantum eis mali infe-
 ret, quantum boni attulit: quo usque i-
 plum amor in peccatorem non adigit? a-
 ma-

December. mavit namque illum plus quàm sua bona; quàm suam quietem, quàm suam gloriam, quàm propriam vitam; cùm ei volupe fuerit pro illo isthæc omnia, imò, & seipsum immolare. En, quousque ipsum amor suus abriperit; poterátne, quantumvis Deus sit, plus præstare? vide, quò usque progressurum sit ipsius odium. Vide, quo usque ipsius beneficia progressa sint. Vide, quàm horrendæ futuræ sint ipsius vindictæ. proh terribilis, sed justa mensura!

III. Credebam, mi Deus, præter justitiam tuam, nihil mihi timendum in grandi illa die ultionum tuarum; sed video, misericordiam, amorémque tuum magis adhuc mihi, quàm ipsam justitiam formidandum. Ah! quid fiet, si misericordia, & amor tuus, qui totius spei, & fiduciæ meæ fuere causa, meruendi & desperandi mihi præbebunt ansam? quò in posterum confugiam? si Servator meus plus mihi timendus, quàm judex meus erit, quid mihi reliquum est præsidij? doceme, mi Iesu, te Servatorem meum, hic ita amare, ut te judicem non formidem, Bonitati tuæ adèò gratum esse, amore tuo ita capi, ut hæc Bonitas, hic amor mihi tunc non sint timoris, sed confiden-

fidentiae incitamentum, & sic assuescam in December.
hac vita, cum ab inimicis meis premor, ad
sanctissima tua vulnera confugere, ut ea
mihi tunc perfugij, & asyli loco esse
queant.

*Cave, abutaris bonitate, & patientia Dei;
cum id, quod nunc ansam temeritatis tibi praebet,
olim tibi futurum sit desperationis causa.*

Sicut Dominus ante laetatus est super
vos, bene vobis faciens, sic laetabitur di-
spersens vos. *Deus. 28. 63.*

Magna est severitas post iudicium, cu-
jus ante iudicium ineffabilis misericordia
praerogata est. *Aug.*

DIES VII.

De Verme Conscientiae Dam- natorum.

I.

PRaeter recordationem praeteritorum
& inutilem poenitudinem, Conscien-
tiae Vermis, qui damnatorum manes in-
desinenter rodit, complectitur etiam an-
xietatem de statu praesenti, & crudelem
desperationem de futuro. Haec anxietas,
& desperatio nascuntur e multitudinem, &

Q³ gra

December. gravitate malorum, quibus liberari optant, & consideratione aliorum malorum adhuc majorum, quæ identidem ipsis intentantur, quæque evitare desiderant: timent enim, quidquid patiuntur, simulque omnia patiuntur, quæ timent: sed vident, omnia sua desideria esse inutilia, suamque infelicitatem nunquam esse finiendam. Altera anxietatis, & desperationis ipsorum causa est, quòd, utut sint infelices, hanc tamen infelicitatem nemini, quam sibi met ipsis tribuere possint, at cana quædam voce assidue ipsis exprobrante: *Perditio tua in te Israel.* Id vel inviti agnoscere, & fateri cogentur. Et hoc veluti complementum ad illorum accedent miserias: si enim persuadere sibi possent, solum Deum earum esse causam, neque se quidquam ad eas contulisse, aliquid salutem inde caperent solatij.

Osee 13 9
vide Cornel.

II. Ex hac damnati desperatione nascitur venenatum sui ipsius odium, quòd se consideret damnationis suæ causam; furiosa quædam rabies eò ipsum adiget, ut se dilaceret, seipsum, si fieri posset, in nihilum, sed irritò conatu redacturus: *recabit mortem*, inquit sacre litteræ, & *fugiet ab eo.* Optabit in nihilum redigi, ut infelix esse desinat; cumque desideria sua

in

in irritum cadere visuras sit, Deum aggre- **December.**
 dietur, veluti malorum suorum autho-
 rem, idcirco quod ipse conservator;
 vellet, ut illum destruere posset. Verum
 sentiet, æternitatem, & summum domi-
 nium Dei desiderio suo obstare, Deum-
 que æternum permanurum, ut ipsum in
 omnem æternitatem torqueat. Hinc
 rabiem suam converteret in supplicij sui in-
 strumenta, rabidi instar canis, & alliga-
 ti, qui lapidi, quo percutitur, dentes in-
 figit, cum malum inferre non possit per-
 cussori, nullo alio fructu, quam, quod
 dentes comminuat, & malum suum au-
 geat. Inde oritur angor infinitus, ab an-
 gore se vertet ad rabiem, à rabie ad de-
 sperationem, ad imprecationes, & blasphe-
 mias. En funestum Reprobi statum in o-
 mnem æternitatem: Væ tibi! si eo dela-
 baris; nunc penes te solum est, ab eo tibi
 cavere.

III. *Quis non horreat, inquit S. Bernar-*
dus, vermem illum semper mordacem, & mor-
tem vivacem; felix ille, pergit S. P. qui
in duritie cordis non quærit conscientia-
malè affectæ remediū, sed ultrò ejus se mor-
tibus exponit, dum adhuc vermis illius
suffocari potest. Utinam ergo nunc ille
ita te rodat, ut infestos morsus evitatu-

*Bern. de
 Confid.*

*De Convers.
 Cleri. Idem.*

2519 Q3 rus

December rus eum opprimere cogaris, & dum te mordet, putredinem absumat, in conscientiæ latebras per peccata congestam, futurum alioquin famelico vermi alimentum: absumat, inquam, putredinem, & sei sum, ne fortè semper nutriendo reddas immortalẽ, tuumque olim per omnem æternitatem supplicium, & carnicificem.

Putredinem rodendo consumat, ut pariter & ipse consumatur, ibid.

Præbe te attentum voci conscientiæ tuæ, & eius exprobrationibus sensibilem, nunc, cum salutem tibi accersere possunt; peccatis renuntiando, quæ earum sunt causa.

Vermis eorum non morietur. *Isa. 66.*

24.

Optimum est, nunc sentire vermem, cum possit etiam suffocari. *Bern. de Convers. Cler.*



DIES



DIES VIII.

De Conceptione Beatissimæ
Virginis.

I.

BEatissima Virgo non prius esse, quam ad Deum spectare cœpit; nec animi citius ejus corpus animavit, quam charitas cor ejus possederit: quandoquidem ipsius Filius in Conceptionis illi⁹ momento, gratiâ eam beavit præveniente; quæ eam à peccato Originario exemit. Is privilegium hoc debebat quodammodo gloriæ Mariæ, & dignitati Matris Dei, ad quam Mariam extollebat. Ut comprehendamus, eam primigeniæ noxæ non fuisse subjectam, satis est comprehendere, quid sit Matrem Dei esse. Hæc sola dignitas clarè demonstrat hanc veritatem. Ex eo, quod Maria sit Mater Dei, omnes Patres concludunt, eam exemptam esse debere omni eo, quod huic dignitati convenire non potest: idcirco illius corpus liberum pronuntiant à minima impuritatibus labe, ab omnibus in vita concupiscen-

December.

riæ motibus, atque ab omni post mortem corruptione; & illius animam à defectibus etiam levissimis, rati, omnia hæc cum Matris Dei dignitate insociabilia esse. Estne igitur hæc dignitas sociabilis cum peccato originario, quod eam redderet Diaboli mancipium, & inimicam illius Dei, quem in utero suo portatura esset?

II. Christus Mariam à peccato Originario exemit, quia hoc debebat tum propriæ gloriæ, tum titulo Filij Mariæ, ad quem se demittere non est dedignatus; nam denique probrum Matris, Filij fuisset probrum, & peccati infamia, quod Mariæ maculam intulisset, gloriam, ut videtur, obscurasset præcipuorum Christi attributorum, nempe Bonitatis, Sanctitatis, & Sapientiæ ipsius. Poteratne is Matri suæ gratiam, quæ tantillo ipsi pretio constaret, tantumque Matri honorem conciliaret negare, quin injuriam ei inferret? Voluissetne ille, qui Patrem, Matremque honorare præcepit, debitum propriæ Matri honorem non habere? An verò hunc ei honorem habuisset, si eam Dæmonis fecisset mancipium? Sanctitas profectò Filij participem imparitatis Maternæ se reddidisset. Quid? possetne is ferre, ut Maria, quæ futura esset

esset Divinitatis templum, diaboli prius *December,*
possessione prophanaretur? fuissetne de-
in habitatio Deo digna? Denique ipsius
Sapientia eum obligabat ad eximendam
à peccato originario Mariam: è qua il-
lum sanguinem desumere volebat, qui
peccata nostra deleterurus esset. Fuisset-
ne autem sanguis iste habilis ad conferen-
dam nobis puritatem, si is antè ingenitâ
labe foedatus fuisset?

III. Sancti Patres, Doctores, Fideles,
Ecclesia ipsa, conspirant, ad tuendum
Beatissimam Virginem sine labe conce-
ptam. Maria ipsa, si Deus ei optionem
fecisset, potius eâ immunis, quàm Ma-
ter Dei esse elegisset; cùm major sit mi-
seria, inimicam esse Dei, quàm ejus
Matrem non esse. Ingens igitur infelici-
tas sit, oportet, vel unicum momentum
peccato obnoxium, gratiæ Dei expertem,
ejusque inimicum esse etiã absque sua
culpa, ut sit in peccato originario. Quid
igitur erit, sponte sua, ut nobis accidit,
peccato implicatum esse non ad momen-
tum, sed integros menses, imò & ipsos
annos? Cæcus proin sit, necesse est, qui
non concipit, quid sit Dei inimicum,
odij infiniti, & iræ omnia potentis sco-
pum esse: imò haud perfunctoriè stupi-
dum

December.

dum esse oportet, qui illius effectus non apprehendit, qui eos impedire non laborat, qui in hoc statu cum tanta tranquillitate perseverat, quasi metuendum sibi nihil esset. Funesta tranquillitas, quæ forsan in desperationem æternam desinet!

Accede ad Beatissimam Virginem, eamque per Immaculatam ipsius Conceptionem precare, ut tibi obtineat cor immaculatum, si non penitus peccato immune, ei certo non affectum.

Tota pulchra es - - - & macula non est in te. *Cant. 4. 7.*

Cùm de peccatis agitur, nullam volumus Mariæ haberi mentionem. *Aug.*

DIES IX.

De Peccato Habituali.

I.

Ingens malum est, peccati reum esse; sed malum longè majus peccato assuevisse: facile è peccato nos eripimus, ubi necdum ei assuevimus: Mille sunt causæ, ob quas id cordi etiam corrupto non placet; sed peccandi consuetudine non facile nos expeditus. Quàm difficilis est
ho:

hominis peccato jam affueti ad bonam December.
 frugem reditus? quàm rarus hic est? si-
 quidem is ordine gratiæ spectato, spe-
 cies quædam est prodigij descripti per re-
 surrectionem Lazari, qui plures jam dies
 erat sepultus, & semi-putrefactus. Con-
 suetudo quædam altera natura est, inquit S.
 Bernardus. Reliqua omnia mutantur;
 rarò autem natura, & peccandi consue-
 tudo. Omnes ferè homines juxta naturæ
 suæ propensionem agunt, & in vitæ suæ
 ratione proclivitatem peruersarum sequ-
 untur consuetudinum. Id, quod juxta,
 naturalem inclinationem agitur, facile
 agitur, nec labore constat: si quis pec-
 cato affuetus est, facile id committit, &
 quasi aquam, iniquitatem bibit. Ubi
 naturæ impulsu agitur, absque attenta
 consideratione agitur: sed ipse considera-
 tionis defectus adeò non excusat peccato-
 rem, ut potiùs sceleris reum agat; quòd
 defectus iste è voluntaria peruersitate in-
 nascatur.

II. S. Augustinus peccandi consuetudi-
 nem appellat captiuitatem sub imperio
 peccati, & diaboli; durorum sanè & cru-
 delium dominorum: *Suspirabam, inquit, 9. Conf.*
ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea volun-
tate. Quasi dicat: gemebam sub probro:

la

Decemb. sa perversæ meæ consuetudinis servitate; hostis meus fabricatus fuerat è peccatis toties à me frequentatis velut è toridem annulis catenam, qua voluntatem meam imperio suo tenebat subjectam. Conabar identidem in libertatem me assertere, sed prava consuetudo conatus meos eludebat; & velut ipsam mortem formidabam positos sceleratis meis consuetudinibus obices, qui me assidue mori cogebant; sed malum, quod jam in assuetudinem abjerat, plus virium in me habebat, quam bonum, ad quod me trahi sentiebam, & quò magis conversionis meæ tempus appropinquabat, eò magis experiebar honorem meum duplicari. Augustinus catenas suas denique rupit; sed quanti id ei non stetit? quantis conatibus ad id præstandum opus non fuit? ipsius conversio miraculum fuit gratiæ adeò inusitatum, ut illius festa dies ab Ecclesia celebretur. Visne spem tuam super huiusmodi prodigio firmare? annon tutius est, peccandi consuetudinem prævertere, cum eam superare adeò difficile accidat?

III. Peccati consuetudo speciem quandam necessitatis affert illud committendi. Ingens infelicitas est, peccare posse; sed major, funesta ista potestate uti; omni-
um

um verò infelicitatum maxima est, non December
 posse non peccare; atque hic pravæ con-
 suetudinis partus est. *Ossa ejus, inquit Job Cap. 10.*
 (de homine peccatis assueto differens) im-
 plebuntur vitijs adolescentiæ ejus, & cum eo
 in pulvere dormient. Illis se expedire nun-
 quam poterit, sed per totum vitæ cursum
 eum comitabuntur, & ad tumulum usque
 sequentur. A pravo desiderio, inquit S.
 Augustinus ad actionem flagitiosam tran-
 fitur: actio sæpius iterata cupiditatem
 roborat; cupiditas roborata in consue-
 tudinem vertitur, & consuetudo in fu-
 nestam peccandi transit necessitatem; &
 quidem in necessitatem, quæ nos culpâ
 non liberat; cum non sit absoluta, sed ex
 abusu, quem admisimus, libertatis no-
 stræ oriatur, dum in omnis generis pecca-
 ta nos implicuimus. Misera sanè neces-
 sitas, quæ nos infeliciores reddit, quin
 minùs sceleratos nos reddat, quam præ-
 venire potuimus, sed eâ nunc extricare
 nos haud valemus.

*Time peccatum, sed magis peccandi con-
 suetudinem: atque omnibus viribus eam præ-
 vertere contende; si enim eam contraxeris,
 conatus tui ad eam superandam inutiles forsân
 erunt.*

Si

December. Si mutare potest Æthiops pellem suam
 - - - & vos poteritis bene facere, cum
 didiceritis malum. *Jerem. 13. 23.*

Dum consuetudini non resistitur, facta
 est necessitas. *Aug.*

DIES X.

De Astutia Diaboli In Occul-
 tandis laqueis, quos castitati
 tendit.

I.

Asmodæus animum hominis alicujus
 verecundi, Deumque timentis occupa-
 paturus, Belli ducem propemodum imi-
 tatur, qui abjectâ spe, arcis cujusdam vi
 expugnandæ, clandestina molitur consi-
 lia cum ijs, qui in ea degunt: sic Asmo-
 dæus certis hominis affectibus in speciem
 utcunque innocentibus, vel certè de fœ-
 dere cum ipso inito minimè suspectis uti-
 tur, securus, eos sibi favere: cum qui-
 bus, ubi commercium injit, cor minus
 sibi invigilans brevè intrabit, & certissimè
 in suam rediget potestatem. Hi affectus
 sunt inanis gloriæ studium, curiositas, &
 arrogantia. Quid hisce animi morioni-
 bus

bus minùs periculosum? vel certè, quid
minorem, quàm illi, cum peccato libi-
dinis affinitatem habere videtur? hi ta-
men Asmodæi regnum in hoc mundo sta-
biliunt.

II. Quoties amor inanis gloriæ, qui, ut
videtur, fœminis ad conservandam suam
pudicitiam servire deberet, eisdem fune-
stus est? hanc gloriã, si qua fœmina
ambit, viris placere ardentè desiderat;
si verò jis placere desiderat, amari non
horret; & si amari cupit, non multùm
abest, ut & ipsa amet. Cor, quod sic
comparatum est, castum satis jam non
est. Præterea, si qua fœmina gloriæ au-
cupandæ valdè est avida, quàm facilè se
exponit illi, qui suis lenocinijs ejus vani-
tati blandiri novit! quàm difficile ipsi ac-
cidit repellere virum, cujus amor glorio-
lam aliquam ei conciliat, & cujus meritum
utilitatis aliquid sibi quoque asserre arbi-
tratur; quamvis ei probè perspectum sit,
illius consilia adèò insontia non esse. An
verò casta esse potest, si hæc tolerat, non
ignara hominis istius intentiones minùs
esse castas? sed demus, ipsam esse castam,
potestne esse penitus innocens? fierine
potest, ut scelerata non sit, cum viro pla-
cere cupit, cui scit, se placere non posse,
quin

December.

quin ipsum reddat culpæ reum? possuntne sine magna perversitate tolerari, vel quaeri commercia viri, quibus desideria, spēsque minus legitimas nutriri scimus?

Alter affectus, qui non majorem habere affinitatem videtur cum peccato libidinis, aditum nihilominus in tot corda aperit, est curiositas, quæ impellit ad lectionem librorum periculorum. Innocentiæ, & puritati tot juvenum perniciosius nihil est, quam libri amatorij, qui sub obreatu expoliendæ linguæ mores corrumpunt, & per Spiritûs, pietatis, timoris Dei, & puritatis animi jacturam, quæ hujusmodi lectionum fructus est, ad castitatis jacturam paulatim præparant.

Tertius affectus, cui non plus tubesse videtur periculi, quique minus commercij cum peccato libidinis habere censeretur, est nimia sui fiducia. Hæc tamen fœminas, & puellas frequentissimè ad peccatum impellit: de virtute sua multum sibi pollicentur, neque periculosissimas occasiones formidant; sed in eas temerè se conjiciunt, in jis absque præcautione versantur; & hanc ipsam ob causam in peccatum se precipitant. Omnia timenda, ubi nihil

attent-

attendendum, quò plus ei tribuimus. *December.*
Aufer à me, Domine, hanc arrogantem
securitatem, quæ juxta Verbum tuum,
lapsus proximi signum, & certissima cau-
sa est. Ah! si toties lapsus sum, idèd
factum est, quòd me lapsurum esse non
credebam.

*Statue tribus hisce animi affectionibus ma-
gnopere diffidere, quæ forsàn periculosas fore
credidisti, stude eas impugnare, & vincere.*

Contritionem præcedit superbia, &
ante ruinam exaltatur Spiritus. *Prov.*
16. 18.

Utilius est, si speremus, nos posse de-
linquere. *Tertull.*

DIES XI.

Quomodo Evitari Possint Laquei Asmodæi.

I.

Sanctorum quidam multitudine laqueo-
rum, quibus undique cingebatur,
territus à Deo sibi indicari enixè petijt,
quâ ratione ab ijs tueri se posset? fugien-
do, ei responderetur: *Fuge, fuge; sed fu-
ge citò, & fuge longè.* Primò itaque fu-
gien-

December,

giendum : si quis enim in laqueos incidit, captus est : unicum proin medium ijsdem se non implicandi est, eos vitare ; neque evitantur, nisi procul ab ijs recedendo ; nec ab ijs receditur, nisi fugiendo. Animi nostri generositas, ubi de libidine sermo est, fugiendo se prodit : cum hoste tam periculoso conflagere, nisi eum vitando, non possumus ; neque victoriam nobis polliceri, nisi eum timendo, nobisque cavendo. Fugiamus proin libidinis occasionem, si ejus peccatum evitare cupimus : ea si proxima sit, in necessitatem vertitur : Nulla salus absque pœnitentia ; nulla pœnitentia absque separatione à peccato, nulla separatio à peccato, nisi proxima viterur occasio ; cui tanta cum peccato intercedit affinitas. Si occasio non est proxima ; fuge, ne proxima fiat ; hæc præcautio tam utilis est, ut ad necessitatem accedat.

II. *Fuge citò.* Sed non est malum, inquis, vel certè malum modicum. Si malum nondum est, fuge, ne malum fiat : si malum est modicum, fuge citò, brevè enim evadet magnum : maxima incendia initium capiunt à scintilla, si ea non illicò fuerit extincta. Gravissimi lapsus non rarò nascuntur ab incauto aspe-

ctu,

Decembere

ctu, ut Davidi contigit; qui gravissimè deliquit, quia oculos à forma periculosa non statim avertit. Quàm funestum aliquoties fuit animabus innocentibus, vel unicum verbum ambiguum, à quo mentem suam non illicò averterunt? Maxima flagitia incipiunt à parvis licentijs, quæ maturè non fuere repressæ. Verùm, si viderem, inquis, periculum jamjam imminere, acturum fugerem. Imperare tibi non potes, ut fugias, ubi peccato non nisi filo alligaris, quomodo id fugies, cum rudente eidem fueris adstrictus?

III. Tertiò, fugè longè. Si fax extincta, sed adhuc fumans quantumvis obiter flammæ denuò admoveatur, mox iterum accenditur: sic comparatum est cor tuum: amove id, quantum poteris, à rebus, quæ id inflammare possunt, si non vis, ut rursus accendatur. Filius Dei non contentus nobis dicere, oculum nostrum eruendum, si is nobis peccandi causa sit; sed etiam longè abijciendum. Proiice abs te. At, iste homo, inquis, charissimus esse mihi debet: an oculo tuo charior tibi est? Servator tibi præcipit, hunc ut eruas, si occasionem peccandi tibi præbet. Sed, valde durum est ab illo me separare, quem

Matth. 5
29.

R 2 plu.

December.

plurimum amo; verum, an non durius tibi accidet, æternum à Deo tuo separari? alterutrum statuendum est; medium teneri non potest. Sed est homo, cui magnopere sum obstrictus: an tantopere ei obstrictus es, ut Christo? an ille sanguinem, & vitam suam pro te dedit? & qui homini illi obligatus es? is te exponit æternæ infelicitatis incurrendæ discrimini. An omnes diaboli plus mali afferre tibi possunt? sed homo est, à quo multum mihi sperandum, vel timendum. An omnia tibi ab eo speranda, vel timenda? an is tibi, quemadmodum Christus, Beatitudinem æternam promittit? an sempiternam tibi minatur miseriam? *nolite*, inquit

Matth. 16.

Servator, timere eos, qui corpus possunt occidere: sed timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.

Statue fugere omnes occasiones libidine peccandi, easque citò fugere; hac enim in re nihil magis timendum, quàm non timere.

Quantus ignis quàm magnam silvam incendit. Iac. 3. 5.

Ecce tetendit ante nos laqueos infinitos; sed tu, Domine, libera nos à laqueo venantium. Aug.

DIES



DIES XII.

De Restitutione Boni Alieni.

I.

Facilius nihil est, quàm bonum alterius invadere; nihil verò difficilius, quàm illud restituere. Cupiditas, necessitas, omnes ferè animi nostri affectiones, sexcentæ falsæ rationes ad illud usurpandum nos impellunt; & hæc omnia etiam conspirant ad nos ab illius restitutione impediendos. Conscientiæ hac super re angores vel suffocamus, vel debilitamus lumina, quæ illa nobis suppeditat; rationum pondus, quæ ad restitutionem nos urgerent, speciosis obtentibus eludimus. Necessitas quædam extrema, qua nos premi credimus, impotentia imaginaria, quam afferimus, jus existimatum conditioni nostræ consulendi, præscriptio, quam nobis absque ratione persuademus legitimam esse, cura propulsandi damni ob injurias, quas nobis illatas esse fingimus, falsa quædam pietas, quæ nobis persuadet, conservari posse liberorum nostrorum fortunas boni alieni impendijs, vani sunt ob-

R 3

ten

December tentus, quibus ad nos à boni alieni restitutione eximendos utimur; sed hæ rationes ab hac obligatione nos non liberant. Hi obtentus inutiliter solari nos, & homines decipere, non item coram Deo, culpâ liberare nos possunt.

II. Etsi bonum alterius restituere tam difficile sit, non minùs tamen necessarium est, id præstare. Difficultas hujus obligationis necessitatem haud minuit, nec labor, quem experimur, eidem satisfaciendi eâ nos liberat. Cupiditas, animi affectiones, & imaginariæ necessitates nostræ non sunt rationes legitimæ contra rationes adeò efficaces, quæ ad restitutionem nos obligant: vani nostri prætextus legi à natura insitæ, à Deo, & hominibus præscriptæ, quæ aliena restituendi onus imponunt, obsistere non valent. Ecclesia, tametsi magnam habeat potestatem, ea tamen eò usque se non extendit, ut ab hoc onere nos reddere immunes queat: qui enim id posset, cum Deus, quantumvis omnipotens id non possit? potest is quidem boni alieni dominium transferre, cum illius Dominus sit; sed id restituendi obligatione reddere eximium me non potest, quamdiu bonum erit alterius. Crede, te plus posse, quàm Deum, tu, qui
for-

forſan imperare tibi reſtitutionem non Decembes
potes?

III. Cùm bonum alienum Domino ſuo reddere adedò neceſſarium ; id verò præſtare tantæ ſit difficultatis, facillimum juxtà, ac tutiſſimum eſt, nemini quidquam auferre. Bonum alienum, ubi id noſtro permifcerur, veluti nobis proprium ſpectare ſolemus. O quot homines conqueruntur de iis, à quibus ad expungenda debita urgentur ! diceres, injuriam illis fieri, cùm juſtis licet creditorum poſtularis ſatisfacere debent. In numero inimicorum habent illum, qui ſe eis amicum eſſe abundè demonſtrârit, bono ſuo, illorum gratiâ, aliquamdiu ſe ſpoliando, ſi eo perpetuùm privari non velit. Credi poſſet ; partem aliquam corporis eis abſcindi, ubi reddere jubentur id, quo ut proprio gaudendi conſuetudinem contraxêre : O quàm multos invenire eſt, qui in iſtis etiam mortis confinibus imperare ſibi non poſſunt, ut aliena reſtituant, quamvis ea illo temporis articulo ſecum auferre minimè poſſint : ſed liberis ſuis cû maledictione divina in hæredes iniquos erupturâ relinquunt, & ſibi æternam damnationem accerſunt. Viſne hoc pretio aliena retinere ?

December. *Inquire in teipsum, quin tibi blandiaris, ut videas, annon bona aliena habeas; eorum enim, qui nihil eorum habeant, pauci inveniuntur. Et si qua habes, de medijs ea restituendi tibi provide.*

Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 27. 21.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Aug.

DIES XIII.

De Exercitio Pœnitentiæ.

I.

EXercitiò Pœnitentiæ nihil magis necessarium, & nihil eò rarius est: Plerique illud ad cœnobia ablegant, rati, id non nisi religiosi instituti sectatoribus convenire. An igitur pœnæ debentur infontibus potius, quàm nocentibus? illi, qui in religioso vivunt ordine, ultrò pœnitentiæ exercitium non rarò in se suscipiunt, cum ii, qui prophana tractant, pœnitentiæ se subijcere obligentur. Alij sibi imaginantur, pœnitentiam nullis, nisi gravium flagitiorum reis esse necessariam; at paucos in mundo invenire est, qui-

quibus ea non sit opus. *D. Augustinus* *December.*
vir tantopere à Deo illustratus asseverat, non esse Christianum, qui trepidare non debeat, si mors eum opprimat pœnitentiæ praxi non exercitum. At quid hoc pœnitentiæ exercitium comprehendit? id ad preces aliquas reducere, ut plerique homines prophani faciunt, est vana spe eos ducere, & decipere, eos ad jejunia etiam inusitata, & vestes cilicinas obligare, est eis metum, & terrorem injicere, vel etiam ad desperationem adigere. Ut proin eorum nos imbecillitati accommodemus, neque tamen eorum mollitiem foveamus, pœnitentiæ exercitium eis proponimus, quod omnis generis hominibus, cujuscunque conditionis, sexûs, & ætatis sint, congruere queat.

II. Homo, qui sæculi vanitatibus deditus fuit, nunc verò à Deo permotus pœnitentiæ agendæ desiderio tenetur, ut suppleat defectum austeritatum, quæ pœnitentiam comitari solent; & à quibus amplectendis impeditur, vel à sua conditione, vel à sua imbecillitate, vel mollitie, debet. 1. Se à mundo, cujus commercium ei tam funestum fuit, aliquantisper separare, omnibus prorsus periculosis visitationibus sibi interdicere, earum

R 5

ali-

December. aliquam partem, quæ solius sunt urbanitatis, rescindere, & alias moderari. Tempus, quod hisce visitationibus impendere solebat, vel coram Christi Cruci affixi imagine, vel coram Sanctissima Eucharistia transigere debet, ad recogitandos cum Propheta in amaritudine animæ suæ annos vitæ inter mundi tumultus actæ; ut coram Deo gemat, hunc pœnitentiæ spiritum ab eo petat, animi sensus concipiat, quos Iesus pœnitens, peccatis nostris perpensis, in deserto conceperat. Debet præterea dolorem suum tam debilem unire cum dolore ipsius adeò vehementi, & cælesti Patri offerre satisfactiones Filij ipsius ad supplendos suarum defectus. 2. Occupare se debet per Spiritum pœnitentiæ exercitio operum misericordiæ, & è consilio Danielis peccata sua eleëmofynis redimere. 3. Minuere in supellectili, & vestimentis suis, quidquid luxum redolet, ut, cum cilicio indutus non sit, exemplo pœnitentium primæ Ecclesiæ; in vestibus saltem non habeat, quod modestiæ, & Spiritui pœnitentiæ adversetur.

III. 4. Per Spiritum pœnitentiæ renuntiare penitus debet omnibus periculosis animi relaxationibus; quales sunt choreæ, spectacula, sibi que subtrahere

po-

potissimam quoque innocentium oblecta-
tionum partem : quia multas earum sibi
permisit, quæ infantes non erant. 5. Vitare
immoderatas in alimentis delicias 6. Per Spi-
ritum pœnitentiæ submittere se cunctis
obligationibus asperis, & laboriosis con-
ditioni suæ annexis. 7. E consilio directo-
ris sui vivendi methodum sibi præscribere,
quam exactissimè server, ad expiandam
justò solutiorem vitæ rationem, qua vi-
xit hactenus non nisi è naturæ impulsu a-
gens, nullique se submittere volens. 8. La-
bori, vel operi vacare, ut se decreto sub-
ijciat justitiæ divinæ, quæ hominem, ut
primùm peccati reum se fecit, ad laborem
condemnavit. 9. Seipsum, & nativas
corporis infirmitates, naturæ suæ inæqua-
litates, conscientiae angores, animi mo-
lestias, pœnas interiores, quibus Deus
nos affligit, lubenti animo tolerare; cum
æquum sit, ut nobis oneri simus, quia
Deo nos opposuimus. 10. Libenter se
cruci submittere, quæ nobis obvenit,
vel ab injustitia creaturarum, à justitia
Creatoris, qui rebus creatis ad nos affli-
gendos utitur, & cum Propheta dicere :
Peccavi Domine, & verè deliqui, & ut eram Job 33. v. 27.
dignus, non recepi.

December. In quocunque statu vivas, hac praxi vivæ stæ-
tue, quæ toti mundo convenit.

Peccavimus, iniquè egimus. - - - Om-
nia ergo, quæ induxisti super nos, in
vero iudicio fecisti. *Dan. 3. 29.*

Divina Bonitas maximè irascitur in hoc
sæculo, ne irascatur in futuro. *Aug.*

DIES XIV.

De Cordis Partitione.

I.

DE O quidem donare nos volumus, &
cur id non vellemus? sed nos totos
ei donare detrectamus; cor nostrum ei
consecrare cupimus, sed non integrum;
verùm id Deum inter, & mundum par-
tiri desideramus. Partitionem tam ini-
quam approbare Deus non potest, nec ho-
mines eam tolerare, neque cor nostrum
sustinere. Deus id non magis approba-
re potest, quàm supremò suò dominio se
abdicare. Hoc verò se abdicaret, si ad-
mitteret, ut quid in corde nostro lateret,
quod non totum suum esset. Non minùs
necessarium est, ut ipse finis noster ulti-
mus sit, quàm primum nostrum princi-
pium

pium : adeoque, sicut nihil in nobis esse December.
potest, quod non ab ipso proveniat, sic
nihil in nobis esse decet, quod non ipsius,
& propter ipsam fit. Velle aliquid cum
ipso in corde nostro collocare, quod illud
dividat; est ipsum inde pellere; cum ali-
quam ei creaturam æquare idem fit, ac
idolum quoddam ei sociare. Christianus,
qui cor suum partiri cupit, majoris crimi-
nis reus est, quàm idololatra aliquis. Ido-
lolata enim rem creatam adorat, quia
Creatorem non agnoscit; verùm si Chri-
stianus, qui eum cognoscit, ipsum crea-
turæ æquat, quæ majorem ei injuriam in-
ferre potest? Deus Philisthæos toleravit,
licet idololatræ essent; sed, ubi arcam in
eodem altari cum Dagon statuere vole-
bant, Deus idolum deiecit, & terribi-
lem de idololatræ vindictam sumpsit.

II. Hanc partitionem neque homines
tolerare possunt. Omnes quantumcun-
que injusti sint, eam improbant, neque
æquitatis, & sinceritatis defectum igno-
scere nobis possunt: at defectum hunc in-
currit, qui duplici corde est: idcirco mi-
nori odio prosequimur pravi exempli ho-
minem, quàm hypocritam, qui se par-
titur, & exteriori virtutis speciem Deo
acceptam esse cupit, dum, quod in ani-
mo

December. mo later, effrænatis suis cupiditatibus addicit. Hujusmodi homines, qui læstisacere Deo, & mundo volunt, plerumque neutri parti satisfaciunt, quia nec lætis pro Deo, nec lætis pro mundo agunt; cùmque eos conciliare cupiunt, utrumque offendunt: propterea nihil in mundo adeò infame est, ut fallax Dei servus, videlicet homo, qui Deum inter, & mundum partiri se cupit; quemadmodum enim utrique suspectus est, sic uterque æqualiter ei diffidit. Deus eum transfugam, mundus speculatorem reputat, ejus oblequia aspernantur, nec eorum rationem habendam arbitrantur. Homines probi eum cum horrore intuentur, quia virtutem, quam profiteri videtur, infamat. Homines mundo addicti eum aspernantur, quia virtutem simulat, ut se ab ipsis distinguat; cùm reapse amplectatur vitium, quod eum cum ipsis confundit; magis proin contemnendus, quàm solutioris vitæ homines, qui saltem ob pravitatis suæ confessionem apertè agere videntur.

III. Cor hominis divisionem hanc Christum inter, & mundum tolerare non potest; cùm eorum axiomata, & propensiones adeò inter se contraria sint, ut
con-

concordari non valeant. An quidquam December,
magis adversatur axiomatis Christi, quàm
axiomata mundi? Christi pronuntiarum
est, Beatos esse pauperes; mundus eos
infelices esse censet. Christus hortatur, Matth. 5.
ut etiam pallium cedamus ei; qui tuni- v. 40.
cam nobis auferre cupit, potiùs, quàm,
ut cum ipso iudicio contendamus. Mun-
dus verat, ne quidquam de nostris com-
modis remittamus. Christus vult, ut
injurias condonemus; Mundus vult, ut
eas ulciscamur. Christus discipulis suis
mandat, ut omnibus se postponent; &
ultimum locum occupent; Mundus se-
ctatores suos docet, supra omnes sese ex-
tollere, sibi que persuadere omnem viam
bonam esse, quæ ad sublimia perducit.
Sed & illorum propensiones non minùs,
quàm axiomata sibi invicem adversantur.
Christus paupertatem, cruciatum, sui de-
pressiones æstimavit, amavit, & am-
plexus est; divitias, voluptates, hono-
res, & quidquid speciosum erat, con-
tempnit, fugit, & cum horrore aspexit,
eosque condemnavit, qui similia ama-
rent; Et mundus divitias, voluptates, ho-
nores, sublimitates æstimat, immoderatè
amat, cupidè conquirat. An inveniri
possunt propensiones magis contrariæ?

an-

December. annon potius lumini cum tenebris conveniret, quàm Christo cum mundo? tu tamen id intendis.

Scrutare cor tuum, ut videas, an id divinum non sit; & statue id totum penitus Deo donare: sin minus, nulla ejus pars ad Deum spectabit.

Divinum est cor eorum; nunc interibunt; ipse confringet simulacra eorum.
Osee 10. 2.

Sufficis tu DEO, non tibi sufficit DEUS.
Ambr.

DIES XV.

De Infelicitate Peccatoris In rebus adversis.

I.

PEccator dupliciter miser est in rebus adversis, tum ob malum, quod patitur, tum ob modum, quo id patitur: si quod infortunium incurrat, vel bonorum suorum, vel hominis cujusdam, quo tanquam fulcro nitebatur, jacturam faciat; absque levamento, absque solatio patitur, & vix non ad desperationem adigitur. Unde namque levamentum, &

sq

solatium peteret? an è recordatione eorum, quæ transiêre? hæc omnia eum perplexum reddunt; cum videat tot labores, quibus inutiliter se impendit: tot scelera, quæ admittit, sine ullo alio fructu, si confusionem excipias, quæ ipsi remanet, & funestam forsan desperationem. An ex animi sensu de præsentibus? hæc ipsi sunt continua doloris causa ob recordationem mali, à quo cogitationem suam avertere nequit, cum fulciri fide non possit, utpote, quæ in ipso debilis est, nec à gratia divina, qua privatus est, roborari, nec ab unctiōe Spiritûs sancti, quæ omnes dolorum amaritudines dulces reddit, solatium, & levamen accipere, cum eâ se indignum reddiderit. An aliquid horum quæreret in consideratione futurorum? Ah! isthæc consideratio ipsius afflictionem, & desperationem ad extrema deducit, cum in illa videat, omnia sibi metuenda; vita ipsius perversa ei ansam præbet credendi, se his malis temporaneis non liberandum, nisi ubi mala æterna fuerit ingressus.

II. In quam igitur partem peccator se verteret, adversâ suâ fortunâ obrutus? an à se ipso exhibit, inquit S. Augustinus, opem quæsiturus? *At foris ablata sunt omnia,*

S

omnia,

December.

December. *omnia, non est, quò exeat, quia dura sunt.*
 An ad Deum confugiet? Ah! eum vel non cognoscit; vel exiguam Potentiæ, & Bonitatis ipsius idæam habet. Qua igitur ratione fiduciam suam in eo collocabit? Verùm, tamen ad ipsius confugeret opem, an non causam timendi haberet, ne ab eo repelleretur illis verbis, quibus perfidi Israëlitæ fuere repulsi: *Ubi sunt dii eorum, aiebat, in quibus habebant fiduciam? - - - surgant, & opulentur vobis.* An miser peccator se converteret ad mundum, quem sibi Deum elegit, cui omnia consecravit? mundus iste perfidus est, proditor est, eumque prodit, & deserit, posthabitis promissis, & spe, quibus illi illuserat. An solatium quæsiturus amicos suos adibit? quàm pauci eorum sunt in adversa fortuna constantes? Diceres sanè, hominem aliquem infelicem contagiosa quadam lue affectum esse, quem omnes fugiunt, & averfantur: & amicorum aliquis adeò generosus irveniretur, qui hujus infelicitatis partem in se suscipere vellet; hæc tamen pars, onus ei non redderet levius.

III. An peccator infelix ad seipsum redibit, solatium in se quæsiturus, inquit S. Augustin. *Non est, quò intret, quia mala sunt,*

In

In conscientia nullum solatium. An levamen aliquod in testimonio conscientiae suae quæret? Hæc ipsa est, quæ crudelius ipsum cruciat. In quamcunque se partem vertit, non invenit, nisi perturbationem, nisi confusionem; non audit, nisi probra, nisi angores; nec videt, nisi scelera, & quidem scelera omnibus voluptatibus, & illecebris destituta, quæ eum tantopere fascinârunt, cum prosperâ gauderet fortunâ; cujus modò nihil amplius ipsi superest, præter acerbam ejus memoriam, præter confusionem infructuosam, præter pœnitudinem inefficacem, & propterea inutilem, & desperationem funestam. Vide, quò collimet impiorum fallax, & brevis prosperitas. An hujus tibi cupiditas incessit? Vel potiùs: an non eam cum timore, & horrore intueris?


Si tantum animi non habes, ut virtutem ames, virtutis causâ; saltem causam habes odio prosequendi vitium ob funestos ejus effectus.

Blasphemaverunt Deum Cœli præ doloribus, & vulneribus suis; & non egerunt pœnitentiam. *Apoc. 16. 11.*

Non est grave plagis affici; sed plagâ non meliorem effici gravissimum est.

Greg. Naz.

December.



DIES XVI.

De Examine Particulari.

I.

EXamen particulare à generali differt in eo, quòd uni solùm vitio, vel defectui, quem emendare intendit, se affigat. Praxis ejus utilissima est, & quodammodò etiam necessaria; cùm sit medium efficacissimum, incompòsitos animi nostri motus superandi, consuetudines pravas extirpandi, nosque à defectibus, quibus præcipuè sumus obnoxij, liberandi. Sancti quoque summopere id nobis commendaverunt, dum nobis cordi esse voluere vigilantiam, cujus hoc examen unica praxis est. Per hanc Divus Ignatius, qui tam utilis exercitij Reparator dici meretur, stupendam conscientie puritatem, clarissimam omnium eorum, quæ in ipsius animo gerebantur, cognitionem, & potentissimum in omnes affectus imperium adeptus est. Ope hujus examinis S. Franciscus Salesius, cùm esset corporis habitudine perquam vehementi, & iracunda, admirandam illam obtinuit morum, & sermonis suavitatem, qua omnium sibi

bi

bi aniam conciliabat, ut eos postmodum December.
Deo lucraretur. Suavitas hæc tam perfecta examinis particularis per viginti ferè annos exerciti fructus exitit. Et nos virtutes adipisci vellemus, si nec levissimo nobis labore starent?

II. Argumentum hujus examinis ordinarium defectus esse debet, aut vitium quoddam particulare; præcipuè verò animum intendere nos oportet vitio præ reliquis nobis dominantibus, aut illi, quod habere potest effectus molestiores, vel ob multitudinem, vel ob gravitatem defectuum, ad quos nos allicit, vel propter obstacula, quæ consilijs Dei super conferenda nobis sanctitate ponit, vel propter salutis nostræ pericula, in quæ nos conijcit. Cæterum non expedit illud generatim aggredi, vel se addicere corrigendis omnibus simul defectibus, quæ ab illo oriuntur, aut malis effectibus, quos id progignere in nobis potest: sed eos divisim invadere, & à defectibus crassioribus, magisque periculosis inchoare. Ad hostes suos certius, faciliusque vincendos, oportet eos separare, & quodammodò suâ solertiâ animi sui generositatem, & vires supplere. An non defectu hujus præcautionis contigit, ut tam parùm proficeres in pugna,

December. qua contra defectus tuos, & immoderatos animi motus præliaris?

III. Modus hoc examen instituendi est.

1. Ab oratione matutina propositum habere defectum, quem impugnare decrevimus, evitandi, & occasiones quoque prævidere, quas habituri sumus, interdium in illum labendi, ut eas fugiamus, si possumus; vel si non possumus, à Deo gratiam petamus, qua roboremur.
2. Eligere aliquid temporis, ante vel post prandium, vel certè Vesperi, dum examen generale instituimus, ut inquiramus; quoties in hunc defectum lapsi fuerimus; & si fieri possit, lapsuum numerum scripto annotare; tum sincerum de eo dolorem concipere, ejus veniam à Deo flagitare, cum ingenti confusionis sensu super imbecillitate, & infidelitate nostra; propositum renovare majoris in posterum fidelitatis, nobisque pœnitentiam multitudini, & gravitati defectuum, quos admisimus, convenientem quotidie imponere, ad vigilantiam nostram excitandam.
3. Si interdium quoque advertamus, nos in hunc defectum cecidisse, ad Deum nos convertere, ad petendam ab eo veniam.
4. Comparare unam hebdomadem cum al-


te-

tera, ut videamus, quos progressus fecerimus, ita tamen, ut non magnopere nos affligamus, si animadvertimus, nos parum profecisse, vel etiam retrògressos fuisse. Hoc ad nostri ipsorum depressionem semper erit utile, & perseverantia nostra gratias Dei denique accerfer abundantiores, quæ nos de hoc defectu victores reddet.


Fac tibi bonam legem, non deficiendi à tam sancto exercitio; si tibi asperum videatur, fructus, quem ex hoc decerpes, eò te impellet, ut omnes hasce difficultates superes.

Persequar inimicos meos, & non convertar, donec deficiant. *Psal. 17. 38.*

Duo specialiter ad magnam emendationem juvant; videlicet subtrahere se violenter, ad quod natura vitiosè inclinatur, & ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget. *Imit. Christi l. 1. c. 25.*



December.



DIES XVII.

De Sacrificio Missæ.

I.

QUatuor sacrificiorum genera erant in veteri lege. Holocaustum; Propitiatorium; Eucharisticum; & Impetratorium. Missæ sacrificium virtutem quatuor sacrificiorum, & quidem modo excellenti complectitur; cum id institutum fuerit ad honorandam Dei Majestatem; ad justitiæ ipsius satisfaciendum; ad agendas ipsius in nos liberalitati grates, ejusque bonitatem nobis propitiandam. Sacrificium Missæ inprimis institutum est, ad honorandum Deum, eaque de causa Holocaustum dicitur: si honor, quem sacrificium Deo adhibet, desumitur à merito sacerdotis id offerentis, & à victima, quæ offertur; quantum honoris Deo non præstatur per Missæ sacrificium, in quo Homo-Deus sacerdotis simul, & victimæ munus obit? ex hoc sequitur. 1. Deum sacrificio Missæ tantum honorari, quantum honorari meretur. 2. Unico Missæ sacrificio plus Deo gloriæ præstari, quam omnes homines, & Angeli conjunctim eadem

dem præstare possint. 3. Sacerdotes æsti-December,
mandos esse felices, & gloriosos, quod
sacrum faciendo ita Deum honorare pos-
sint, sicut meretur. 4. Sacerdotibus nihil
omittendum; quo se dignos reddant, rem
divinam quotidie faciendi; cum, si id
non faciant, ingenti Deum gloria pri-
vent. 5. Horrendam esse injuriam, Deum
illa ipsa actione offendere, qua maximè
honoratur; uti faciunt illi, qui rem di-
vinam absque pietate faciunt, vel ei sine
attentione, & reverentia assistunt.

II. Alter finis sacrificij Missæ est, ju-
stitiæ divinæ pro hominum peccatis sa-
tisfacere; propterea Propitiatorium appel-
latur: in eo enim sanguis IESU Christi,
ejusque satisfactiones, quæ virtutis sunt
infinite, nobis applicantur. Unde con-
cluditur. 1. Quantumcunque gravia pec-
cata nostra sint, oblato Missæ sacrificio
satisfactionem Deo offerri non modò æ-
qualem, sed etiam abundantem. 2. Et si
omnes homines usque ad mundi finem o-
mnia Martyrum tormenta ad expianda
sua peccata sustinerent, omnia ista tor-
menta ad satisfaciendum Deo, tantam
virtutem non habitura, quantam unicum
Missæ sacrificium. 3. Si mundus plenus es-
set hominibus omnium scelexum reis, qui-

December.

que omnia supplicia subeundo justitiæ divinæ satisfacere deberent, applicationem unius solummodò Missæ plus, quàm sufficientem fore ad satisfaciendum Deo. Quòd Deus necdum submergat mundum univèrsali diluvio ad coërcendum diluvium flagitiorum, quod univèrsam terrarum orbem inundat, causa est, quòd Christus, qui in hoc sacrificio offertur víctima, brachium Patris æterni inhibeat.

4. Sacrificio Missæ plus Deo honoris deferri, quàm cunctis mundi sceleribus offendatur. Quantum solatium animabus Deum amantibus! Concluditur denique, ingens esse crimen Deum offendere irreverentijs sub Missæ sacrificio, eúmque illo ipso tempore irritare, quo se Christus ad eum nobis placandum immolat.

III. Tertius finis hujus sacrificij est Deo pro beneficijs gratias agere; ipsi enim infinitis nominibus obstricti sumus: verùm, cùm pauperes, & impotentes simus, eò nos redactos invenimus, ut ingrati esse cogamur, vel certè gratum animum satis ei testificari non valeamus. At Missæ sacrificium ab hac molesta necessitate nos eximit, siquidem ei donum offerimus ipsius Majestate dignum; donum, quod

omnia dona superat, quæ ipse nobis impertijt, excepto illo, quo filium suum nobis dedit, hoc donum ad nos pertinet, cum ipse id nobis largitus sit; estque Deo dignum, quia Deus est, quem ei offerimus. Vltimus finis hujus sacrificij est, petere gratias nobis necessarias. Et sanè quantæ non sunt necessitates nostræ? sed quanta etiam non est virtus meritorum Christi, quæ mihi per Missæ sacrificium applicantur? quascunque gratias Pater æternus nobis concedat, semper minus nobis concedit, quàm nobis debeat; cum ipsius gratiæ eò usque se non extendant, quò filij ipsius merita ad me spectantia. Si ita res se habet, quousque motus spei meæ ascendere non possunt? si quid mihi deficit, causa est, quòd confidentia in meritis Christi me deficiat.


Si Missæ sacrificio assistis, statue unire intentionem tuam cum intentione sacerdotis, & hoc sacrificium ad quatuor hosce fines offerre.

Advocatum habemus apud Patrem; Iesum Christum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 104. I. 2. r.

Qui nunc illa fecit in cæna, ea nunc quoque facit. *Chrysoft.*

DIES

December,



DIES XVIII.

De Obtentibus, Qui Nos A
S. Synaxi frequentanda a-
vocant.

Mirum est, quòd nos, qui conquirere rationes deberemus ad S. Synaxin. frequenter accedendi, ob commoda, quae ex ea capimus, rationes quæramus eidem nos subducendi. Verùm hæc dici rationes non merentur, sed inanes prætextus. Non sum dignus, inquis. Ergone expectas, dum dignum te repures, qui ad sacram Eucharistiam accedas? si ita est, nunquam accedes: quis hominum, quantumcunque sanctus sit, sacra hac mensa dignum se iudicet? indignum se illà reputare, omnia agere, quæ potest, ut dignum se reddat, bona est præparatio ad sacrum hoc Epulû sumendum. Humilitas hæc indignitatem nostram supplet. Si peccato renuntias per dolorem sincerum, & propositum efficax, id ampliùs non committendi, Ecclesia te dignum sacra communione iudicat. Optandum esset, ut omnes homines perfecta præditi essent sanctitate, ad
di-

December.

divina Sacramenta suscipienda; sed illam exigere idem est, ac totum ferè mundum à sacra synaxi excludere, insuper habitam univèrsali Servatoris nostri invitatione; cum tantam præparationem postulare, sit id postulare, quod sacrae communionis fructus esse debet. Cum Servator sanctissimum suum Corpus discipulis sumendum præbuit, erantne jam omnes perfectè sancti? neutiquam sanè; sed longè à perfectione remoti.

II. Sed nimis frigidus sum, ais, nimis ignavus, nimis imbecillis. Excusationem affers, te propterea ad ignem non accedere, quòd frigeas te cibo abstinere, quòd imbecillis sis, te remedijs non uti, quòd ægrotus sis. An non hoc est repugnantia loqui? si frigidus es, non algore illo mortifero, qui charitatem, sed illo, qui fervorem excludit; qua ratione commodiùs calefieri potes, quàm ad hanc divini amoris fornacem accedendo? si debilis es, vires repara, panem fortium comedendo. Si ægrotus es, remedium istud adversus omnia animæ mala præsentissimum, & univèrsale sumito. Alij rationis loco, sacram Communionem non frequentandi, afferunt exiguum fructum, quem ex ea capiunt. Sed quid ve-

tat,

December. rat, quò minùs ex ea proficiant? denique quinam sunt ij, qui majores in virtute progressus faciunt? illine, qui sæpiùs, an verò, qui rariùs ad sacram mensam accedunt? Fortasse Deus progressum tuum tibi celat, ut te in Christiana humilitate contineat: progressus iste non nunquam sat magnus est, quamvis sub sensum non cadat. Si cupiditas priùs immoderata, minùs jam est violenta, si animi tui moriones minùs sunt vehementes, si tentationibus generosiùs resistis; si rariùs, minùsque graviter peccas, an non hic Communionum tuarum effectus est? si vita illorum, qui non nisi semel in anno ad sacram Synaxin accedunt, comparetur cum eorum vita, qui quovis octiduo divino hoc pane recreantur; quantum discrimen!

III. En regulas pro S. Coñunione observandas. 1. Coñunio frequens per se ipsam præferenda est rariori. 2. Temeritas est, absolutè viruperare frequentem communionem, post Concilij Tridentini hac super re declarationem. 3. Coñunio debet esse plus, minùsve frequens, habitâ ratione necessitatis, qua laboramus, & præparationis, quâcum ad eam accedimus, atque fructûs, quem inde per-

December.

Percipimus. 4. Præparatio penitus necessaria ad S. Communionem est illa, quam Concilium Tridentinum exigit, & versatur in Confessione integrâ peccatorum lethalium; dolore sincero de ijs commissis, firmo ea non ampliùs committendi proposito. 5. Juxta quorundam opinionem exigere, ut quivis homo, qui hoc modo præparatus est, quotidie sacram Eucharistiam sumere possit, est opinio contraria rationi, sententijs Patrum, & praxi doctissimorum conscientiarum directorum. 6. Fieri non potest, ut homo sic præparatus, non magnum capiat fructum è singulorum mensium Communionem. 7. Illi, qui peccata lethalia ordinariè non committunt, etsi leviora, non è plena deliberatione, aliquoties admittant, modò consuetudinem non contraxerint, & ijs, cum ad sacram mensam accedunt, addicti non sint, quovis octiduo cœlestibus epulis refici possunt. 8. Illi, qui ea non nisi rarò, nec cogitatò committunt, sæpiùs ad S. Synaxin admitti possunt. 9. Qui ea nunquam cogitatò admittunt, nec mundo, neque ipsis penitus addicti sunt, frequentissimè ad S. Eucharistiam accedere possunt.

December.

*Fac tibi legem has regulas observandi in tuis
Communionibus, idque juxta prudentis dire-
ctoris ductum.*

Panem nostrum quotidianum da nobis
hodie. *Luc. 11. 3.*

Si quotidianus est, cur sumis post an-
num? accipe quotidie, quod tibi quoti-
die prodest. *Ambr.*

DIES XIX.

De Lumine Gratiæ.

I.

Gratia est Lumen, quod Deus nobis ac-
cendit, ad mentem nostram illustran-
dam, & tenebras, quas peccatum in ea
diffundit, expellendas. Cùm JESUS
Christus principium sit Gratiæ, Pater lu-
minum appellatur, vel potius Lumen
ipsum. *Ego sum Lux mundi.* Gratia est
participatio luminis istius increati, & ra-
dius quidam ex hoc justitiæ sole progre-
diens. Effectus luminis corporei mira-
biliter nobis exprimunt effectus hujus lu-
minis spiritualis. Lumen noctis tenebras
dissipat; Gratia dissipat tenebras peccati.
Quicumque in tenebris ambulat, in peri-
culo

culo versatur singulis momentis cadendi, December.
 vel errandi. Quicumque lumine gratiæ il-
 lustratus non est, nullum ferè gressum mo-
 vet, qui lapsus non sit. Si toties cadis,
 si toties aberras, inde provenit, quòd du-
 cem non habeas gratiam. Aliquoties lu-
 men gratiæ fulguris instar transit, neque
 tamen magnos progignere effectus inter-
 mittit: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi* *Psalm. 76.*
terrà. Tale lumen fuit, quod S. Paulum *v. 19.*
 circumdedit, & ad Christi agnitionem
 perduxit: *Circumsulsi eum lux.* Aliquo-
 ties hoc lumen constantius est: quale fuit *Actor 9. v.*
 illud, quod Magis apparuit, eosque ad *3.*
 Christum perduxit. Ah! quoties con-
 tigit, ut lumen gratiæ te illuminaret, &
 urgeret? & quoties ei restitisti?

II. DEUS aliquoties ipsemet & solus
 derepentè, hoc lumen, cum nihil minùs
 cogitatur, profert, quin aliquo utatur
 objecto. *Spiritus DEI,* inquit Servator, *Joan. 3. 8.*
spirat, ubi vult; & nescitis, unde veniat, &
quò vadat. Aliquoties hoc lumen venit,
 occasione boni alicujus exempli, unius
 sententiæ in concione aliqua perceptæ, à
 casu quodam adverso, qui alteri cuiquam
 contigit, à salutari quadam afflictione,
 quam Deus nobis immisit. Quoties ob-
 venère tibi hujusmodi gratiæ, & quoties

T
 eas

Décember. eas neglexisti, vel etiam contempnisti? Hoc lumen plerumque nobis conceditur, quia illud petimus; nec id acciperemus, si non peteremus. Ah! possemusne hoc nimium petere? Deus aliquoties id nobis impertit, cum id non quaerimus, imò tunc, cum fugimus. Si hoc lumen me non quaesisset, cum id fugerem, venissetne, mi Deus, mihi in mentem, ut ad te converterem? Hoc lumen aliquoties novas nobis veritates aperit: talis est illa, quae magnos peccatores ad bonam frugem reduxit, qui his perversitatibus immeriti non erant, nisi, quia in grandi veritatum salutem spectantium ignorantia vitam traduxere. Aliquoties veritates istas clariùs nobis proponit, ut majori in nos vi polleant, & hominem ad virtutem impellant, qui eas quidem cognoverat, nec tamen penetrarat.

III. Hoc lumen gratiae, simul ac nobis certa quaedam objecta detegit, alia eorum nobis abscondit; quemadmodum stellae, quae dum nobis pulchritudines caeli ostendunt, terrae venustatem nobis occultare videntur. Sic lumen hoc gratiae, eo ipso tempore, quo nobis ob mentis oculos ponit ingentia commoda, quae in virtutis via occurrunt, abscondere nobis, vel certe

im.

impedire videtur, quò minus attendamus ad difficultates, quæ exercitio virtutis sociatæ sunt. Hoc menti nostræ quædam objecta, veluti magna, alia, ut modica proponit. Hoc nobis monstrat sublimitatem Dei, & eorum, quæ ad Deum referuntur, rerum nempe non visibilium, & æternarum. Hoc efficit, ut omnia ista magna nobis videantur, & ut nihil præter hæc magni à nobis aestimeretur. E contrario alia imminuit, ut mundum, ejus bona, voluptates, honores; facitque, ut hæc omnia nobis modicum quid esse credantur. Id, quod mundus magnum esse sibi persuadet, homini, cui hoc lumen fulget, nihil est. Si mundi sublimitates te fascinant, & mentis oculos perstringunt, inde oritur, quòd hoc lumine non illustreris; non quòd id tibi non luxerit, sed quòd oculos eidem occluseris, ne ab eo illuminareris.

Frequenter à Deo pete cum cæco illo Evangelico: Domine, ut videam: illumina me divinis tuis luminibus.

Lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.

Jo. 3. 19.

T 1

Deus

December,

Deus est lumen, & sine illo tenebræ: si ab illo recesseris, in tuis tenebris permanebis; si accesseris, non de tuo lucebis.
Augustin.

DIES XX.

De Ratione Casus Adversos rectè sufferendi.

I.

ADversa pati malum non est, cum; Servator noster asseveret, beatos esse, qui ea patiuntur; sed grande malum est, ea non bene pati. Non est malum, crucibus onerari, cum ad crucem portandam Christus nos obliget; sed ingens malum est, cruces non patienter perferre. Cruces sunt thesaurus ille Evangelicus, sed thesaurus absconditus, quem pauci homines inveniunt; vel potius, quem totus mundus invenit; quis enim est, qui crucibus careat? sed eorum pauci fructum ex eis percipiunt; quod eorum precium ignorent. In cruce, inquit vir quidam Sanctus, invenitur salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce

*Imit. Christi.
lib. 2, c. 12.*

cruce gaudium spiritus, in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. Quales hæc divitiæ! sed quis est Christianorum, qui eas sibi utiles reddere velit? vel potius, quis est, qui eas in damnum suum non vertat? Crux est vita, & salus nostra, & nos nostrâ culpâ mortem, & interitum nostrum in ea invenimus. Illa nobis esse deberet consolationum origo; & nobis molestiarû! & murmurationû exadit occasio. Illa deberet esse robur, & gaudium nostrum, & in animi abjectionem nos conjicit. Illa est medium securum ad sanctitatem pertingendi; & nos ex ea deprimimus peccandi ansam. Illa brevissima est ad cælum via; & nos in hac ad cælum via ad inferorum barathrum properandi viam invenimus.

II. Ut casus adversi emolumentum nobis faciant, oportet I. Eas patienti animo ferre. Si consideremus, unde eæ oriantur, & quò ducant, fieri potest, ut eas non patienter feramus? eæ veniunt à Deo. An mali quid obvenire nobis potest à Deo infinite bono? eæ nos ad cælum perdunt. An malum reputare possumus id, quod tantum nobis accersit boni? cur igitur res adversas molestè feramus? si æquo animo cruces nostras non portamus, inu-

December,

riles nobis erunt : nullum est rerum adversarum momentum , quod æternitatem felicem nobis mereri non possit ; sed per impatientiam omni eorum , quæ toleramus , merito excidimus , quanta jactura ! Quam cæci sumus , si eâ non movemur ? si molestè , indignèque ærumnas nostras perferimus , graviores nobis evadent. Si crucem libenter portas , ea te portabit , neque crux tibi amplius erit. At si invitus eam portas ; imò solummodò trahis , onus tibi gravius reddis. Denique impatientia tua cruces tibi etiam funestas reddet , & occasionem meriti in peccati , & damnationis æternæ occasionem vertet ; atque ita criminis reus , & simul infelix eris. Invitum pati , est more damnatorum manium pati ; atque in hac vita inchoare infernum , in altera dein continuandum. Est imitari malum illum latronem , qui per crucem ad infernum descendit , latrone bono per crucem ad cælum assumpto.

III. Secundò pati oportet in Spiritu pœnitentiæ : cùm enim peccator sis , pœnitentiâ tibi opus est , ita , ut sine ea salutem consequi non possis : cùm etiam ignavus sis , vel pœnitentiæ agendæ animum non habeas , vel adedò cæcus , ut credas , te agere

gere eam posse, quin aliquid patiâre; December.
Deus imbecillitatis tuæ miseratione ta-
ctus adversa tibi immittit, pœnitentiæ
ansam tibi suppeditaturus. Plus non est
necessarium, quàm, ut ei te submittas;
hac enim ratione pœnitentiam ages, &
Deus contentus erit. Non tantùm pati
oportet in Spiritu pœnitentiæ; sed & in
Spiritu amantis, & grati animi. Et ve-
rò quantopere Deo non sumus obstricti,
quòd nos labore sublevet in nosmetipsos
animadvertendi; siquidem vel nimix
prudentiæ obtentu per ignavam conni-
ventiam nobis ipsis parceremus, vel ex
imprudenti fervore nos ipsos fortasse ob-
rueremus. Deus novit, quantum ferre
possimus; idcirco calamitates nostras è
delictorum, & virium nostrarum ratione
meritur. Quanta hæc Dei Bonitas,
quòd rationem habeat illius, quod ipsi-
met non persolvimus, & velit, ut ad-
versa, quæ in seipsis voluntaria non erant,
voluntaria nobis evadant per hoc, quòd
ijs lubenti animo nos subijciamus? quan-
tâ pœnâ digni non sumus, si pœnas fu-
gimus, quæ tantæ nobis sunt gratiæ?

*Confundere, quòd aded abusus fueris tuis ca-
lamitatibus, & statue in posterum ex ijs emo-
lumentum capere.*

T 4

Quia

December. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. *Tob. 12. 13.*

Quid ergo non misericorditer præstatur à Deo hominibus; à quo etiam tribulatio beneficium est? nam res prospera est donum consolantis; res autem adversa donum est admonentis DEI. *Aug.*

DIES XXI.

Exemplum Christi Omnia
nobis facilia reddere potest.

I.

EXemplum, quod à Magnatum quodam, aut à Rege præbetur, tanta in nos vi pollet, ut maximas quâsque difficultates superemus: si id præbetur ab homine magnopere nobis charo, amor facit, ut difficultates non inveniamus: at si is hoc nobis exemplo præluceat, solo erga nos amore, eoque sincerissimo, tenerrimoque impulsus, id imitari etiam volupe nobis est. Talis amor solus est ille, quo Christus nos persecutus est; & quidem amor generosissimus, qui eum impulit ad præbenda nobis exempla humilitatis, patientiæ, paupertatis, mortificationis, & obedientiæ, quas nobis imitandas proponit

ponit. Hæ virtutes ipsi non modò necessariæ non erant ; sed neque ei conveniebant. Verùm nobis non solùm valdè conveniebant , sed penitus erant necessariæ. Itaque eas amplecti voluit , ut illas exemplo quòque suo nobis persuaderet , postquam divinis suis axiomatis toties docuerat.

II. Paupertas, ærumnæ, depressiones remedia sunt animæ nostræ infirmitatibus salutaria. Christo ; cùm is perfectè salvus, & incolumis, peccatique originarij contagione penitus immunis esset, hæ virtutes supervacaneæ erant : sunt enim pœnæ nocentibus debitæ ; Christus non modò innocens erat, sed Sanctorum omnium sanctissimus : non igitur subjici pœnis debebat : eæ sunt antidota adversum corruptas animi nostri propensiones : Christus non duntaxat peccato non obnoxius, sed nec erroris capax erat : non igitur ijs indigebat ; nobis verò, quia ægri eramus, remedijs opus erat. Verùm animus ea sumendi nos deficiebat. Eramus peccatorum rei ; ac proin supplicio digni, & ei nos submittere cunctabamur. Corrupti eramus, & ab animi nostri propensione in omne malorum genus ferebamur : propterea ab ijs, absque præsentis antidoto

December.

rueri nos non poteramus : at quia socordes non minùs , quàm infirmi eramus , potiùs repugnantiam nostram , quàm nostras necessitates consuluimus , obfirmatitius perire , quàm sanari medijs , quæ nimis amara nobis videbantur , neque mollitudini nostræ se accommodabant.

III. Christus huic nostræ mollitudini se accommodaturus , & ignaviam exemplo suo excitaturus voluit quantumvis innocens durissima tormenta tolerare , ut his impulsis nos submitteremus pœnis sat levibus , quas ipsius misericordia æquè , ac justitia nobis injungit. Is , licet sanus , & medicus noster esset , sumere voluit remedia quantumcunque amara , quantumcunque probrosa , sibi que supervacanea forent , ut nos ad ea sumenda pelliceret. Is ad fæces usque bibit calicem , eumque bibendo omnem ei amaritiam ademit , ut nos ad eum post se bibendum animaret. Amor , quò Christus in nos ferebatur , eum adegit , ad amplectendas sui abjectiones , & cruciatus , licet neque necessarii , neque utiles ipsi , sed potiùs eò indigni essent ; cum Unio Hypostatica , & Viliò , ut vocant , Beatifica similium incapacem eum redderent , & miraculo opus esset continuo , ut eorum fieret capax. Et

exem

exemplum, amorque, quem omnibus hisce miserijs se subjiciendo nobis testatur; atque amor, quem ipsi debemus, ad eas non modò sine difficultate, sed & cum voluptate amplectendas nos non obligent?

Si difficile nobis acciderit ærumnis, & depressionibus nos submittere, cogitemus, Christum illis se amore nostri subjecisse; erubescamus proin, quòd eas amore ipsius lubenti animo non acceptemus.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens, exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Petr. 2. 21.

Prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Aug.

DIES XXII.

De Humilitate, & Sui Despicentia-

I.

SI gloriæ cupiditate flagramus, solidam, veramque gloriam quæramus. At ubinam veram inveniemus, nisi in nostri contemptu & depressione? éstne aliquid gloriâ Dei majus? Hæc est Bonum divinum, bonum aliquo modo infinitum.
Est,

December, Estne igitur majus quid, nobisque gloriosius, quam eam promovere? exemplum Christi id nobis ostendit, humilitate, sui-que contemptu ad eam comparandam non esse medium efficacius. Christus Patris sui gloriam nunquam ita manifestavit, quam ubi magis fuit contemptus; videlicet tunc, cum angeli cantarunt: *gloria in altissimis Deo.* Tunc, cum Pater aeternus ostendit, filium suum, aeternae oblectationis suae scopum esse. Sumusne unquam sublimiores, & gloriosiores, quam, ubi propius, ad sublimitatis, & gloriae originem accedimus? an non Christus Homo-Deus verae sublimitatis, & gloriae est origo? an igitur unquam sublimiores, & gloriosiores sumus, quam, ubi propius ad ipsum accedimus? an vero unquam propiores ad ipsum accedimus, quam, ubi humiles, & contempti sumus, & ipsius amore nostri contemptum amamus?

Luc, 2.

II. Si perfecti, si sancti esse volumus; humiles sumus; tum sane nostri contemptum lubenti animo feremus. Sanctitas, & perfectio nostra in similitudine cum Christo, & in cordis, animique cum ipso conformatione consistit. An simul, & Christiani esse, & hac de re dubitare possumus? an hanc cum ipso conformationem

nem habere possumus, si non amamus, si *December.*
non æstimamus, si non amplectimur id,
quod ipse amavit, quod ipse æstimavit,
quod ipse amplexus est? nempe humilita-
tem, nostri contemptum, & depressio-
nem? ipsius vita non fuit, nisi perpetuum
humilitatis exercitium, quàm continua
depressionis series. An ergo ei similes,
perfectique esse possumus, si eas cum hor-
rore fugimus; si cum impatientia eas fe-
rimus? si humilitas perfectionis nostræ
fundamentum est, tum amor Christi ejus-
dem culmen est. An meliùs amorem
nostrum ei testificari possumus, quàm si
ipsius amore, repugnante licet naturâ, o-
mnes, qui nobis obveniunt, contemptus
perferamus?

III. Si Beati esse cupimus, humilita-
tem, & contemptum amemus. Quid vi-
tam hanc beatam reddit? nisi pax? &
quid tutiùs conciliare pacem nobis potest,
quàm humilitas, & amor, vel certè vo-
luntaria depressionum acceptatio? anima
humilis semper tranquilla est. Quidnam
est, quod pacem nostram turbat? parva
æstimatio, quam alij de nobis præ se fe-
runt? si humiles sumus, si contemptum
amamus, poterimùsne commoveri, & tur-
bari, dum habemus, quod amamus? Id,
quod

December. quod non raro molestiam nobis parit, est contemptus. Homo humilis locum postremum semper quærit; competitorum non inveniet, qui cum ipso de hoc loco rixetur. Hæ inquietudines, hæ molestiæ, quæ roties pacem tuam turbant, non nisi è superbia oriuntur. Humilis esto, tum citò pacem possidebis.

Pete à Christo Domino per ipsius humilitatem, ut gratias tibi impertiat necessarias ad se imitandum, & tui contemptus saltem cum patientia tolerandos; si tantum animi non habes, ut eas ames.

Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat, sicut minor. *Luc. 21. 25. & 26.*

Itane magnum est, fieri parvulum, ut, nisi à te, qui tam magnus es, disci omnino non posset? *Aug.*



DIES

DIES XXIII.

De Necessitate Mortificatio-
nis.

L

Mortificatio necessaria nobis est, quia cum violentis animi motibus, & immoderatis propensionibus dimicandum nobis est. Omnes nascimur superbi, ambitiosi, iracundi, ad vindictam sumendam, proni, commodorum nostrorum cupidi, voluptuarij, & desidiosj. En! quales natura sumus. Jam vide, quales esse deinceps nos deceat, si à peccatis desistere, & salutem æternam consequi velimus. Funestam veluti hæreditatem cum peccato originario accepimus à primo nostro parente, vehementem quandam animi aversionem à bono, violentam propensionem ad malum. Istius aversionis vel propensionis motus absque peccato sequi non possumus, nec eis resistere, nisi vim nobis ipsis inferamus. Id quod reapse malum est, bonum esse judicamus, id amamus, id desideramus. Itaque cordi nostro continuo invigilandum, ut omnes ejus motiones

December. observemus, eas vigilantiam nostram occupemus, & mortificatione reprimamus. Pugnandum semper est cum animi nostri affectibus: si vincamur, actum de nobis est: si verò non vincamus, vincimur; neque vincere possumus, nisi sine intermissione pugnemus. An non hoc est mortificationis Christianae exercitium?

II. Mortificatio necessaria nobis est, quia pericula valde continua nobis evitanda sunt, & cum hostibus potentibus congreduendum. In medio laqueorum, & lubrica praecipitis petrae extremitate incedimus. An haec pericula evitare, hos laqueos effugere, à lapsu absque vigilantia, timore, & maxima praecautione rueri nos possumus? an non haec omnia continuam quandam mortificationem complectuntur, vel certe supponunt? ex omni parte oculis nostris obversantur res gratae & periculosae, periculosae inquam, propter vim, quam in sensus, & corda nostra exercent; qua ratione ab iis cavere nobis possumus, si non indefinenter vigilemus? dimicandum est cum hostibus formidandis; mundo, quem magni facimus; carne, quam immoderate diligimus, daemone, quem non satis metuimus. Mundus nos aggreditur per bona, quae nobis pollicetur,
per

per dignitatum splendorem, quo mentis December.
 nostræ oculos perstringit; quomodo ab
 his nos defendemus, nisi nos mortificando?
 Caro hostis est domesticus, eò magis ti-
 mendus, quò minùs eum timemus, quò
 magis ei blandimur: hæc nata est, ut ser-
 viret; & dominari desiderat: si eam non
 subigimus, dominabitur, & nos perdet.
 An tanti hostes, qui ad continuum nos
 bellum compellunt, vitam nobis suavem
 & otiosam permittunt? an non potius ad
 vigilantiam, & jugem mortificationem
 nos obligant?

III. Mortificatio necessaria nobis est,
 quia munera laboriosa nobis oheunda, sive
 ea statui nostro propria, sive officio Chri-
 stiani hominis annexa sint. Mulier ali-
 qua tenetur se submittere, & obsequi Ma-
 rito, sollicitè educare liberos, & domesti-
 cos bene gubernare. An non ad hoc ob-
 tinendum, necessarium est, se affligere,
 cupiditati lusùs, & recreationis moderari,
 visitationes inutiles minuere? an hoc fie-
 ri sine mortificatione potest? Maritus ali-
 quis condescendere debet uxori, ejus im-
 becillitates æquo animo tolerare, educa-
 tioni, & sustentationi liberorum suorum
 prospicere; ad hoc præstandum multa o-
 nera in se suscipere, curis se immergere,

U

sum-

December. sumptibus moderari, animi remissionibus parcius uti eum oportet. Facietne muneris suo satis, si mortificatione deficiat? Magnarum aliquis, aut Princeps tempus, quietem, oblectationes, & aliquoties sanitatem suam bono publico immolare debet: si naturæ suæ moribus, & cupiditatibus obsequitur, quibus in oblectationes fertur, an his obligationibus satisfaciet? Christiani omnes injurias ignoscere, inimicos suos diligere, intimos amicos, qui ipsos à Deo avertunt, fugere, oculum suum, si hic ipsis Deum offendendi ansam præbet, eruere, injustè possessa, etiam cum dedecore, & incommodo suo restituere sunt obstricti. An hæc omnia fieri sine violentia possunt? an non hæc violentia praxi mortificationis innata est?

Statue, mortificationis exercitio serio te impendere, & à Deo te ipsum vincendi gratiam pete.

Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11. 12.*

Ne cupiditas nequam pravæ consuetudinis robur accipiat, dum parvula est, e-lide illam. *Aug.*

DIES

December.

DIES XXIV.

De Oratione.

I.

SI vos, cum sitis mali, inquit Servator, nobis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se? Hæc Christi Domini verba tria efficacia incitamenta complectuntur ad animandam confidentiam nostram, nosque reddendos securos, nos exauditum ipsi idcirco, quod peramus spiritum bonum, quod eum petamus Spiritus sancti instinctu, & denique quod eum petamus à Patre nostro. Quid est spiritus bonus? est spiritus Iesu Christi, spiritus nempe humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, mortificationis, & charitatis. Ad hunc petendum nos Christus obligat. Is majore illum nobis concedendi desiderio flagrat, quam nos eundem obtinendi. An illum tibi negabit, postquam fidem suam obligavit, ad eum tibi donandum, ubi eum petieris? sed hic est spiritus bonus, quem tibi promittit. Si duntaxat bona, voluptates, & honores à Deo, prout consuevisti, petas, petisne spiritum bonum? vel potius,

Luc. 11.

v. 13.

U 2

an

December. an non ab eo petis, quidquid servire potest alendo spiritui mundi, spiritui proprii commodij, vanitatis, oblectamentorum corporis? estne iste spiritus bonus? an non hujuscemodi orationes facere, est Christo injuriam inferre? an punire severius te posset, quam si te votis damnaret?

II. Id quod Orationis effectum certissimum reddit, quodque confidentiam nostram animare debet, est, quod non solummodo petamus spiritum bonum, sed quod eum Spiritus sancti instinctu petamus: miseris spiritualibus pleni sumus, & quod nos magis reddit miseros, ex nobis ipsis miseras nostras agnoscere non valemus, nec desiderare, aut orare, ut oportet, Dominum, ut ab illis nos liberet: Nam, quid oremus, inquit Apostolus, sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Potestne Deus aliquid nobis negare; cum ipsemet Spiritus sanctus in nobis, & pro nobis id petit? vel potius ad orandum nos impellit? fierine potest, ut nobis non concedat, quod petere ipsemet nos jubet? Verum, estne Spiritus sanctus, qui in me orat: tunc, quando urgentibus animæ meæ necessitatibus adeo non moveor, ut non nisi bona caduca petam, quæ Deus concedere mihi

non

8. Rom. 26

non posset, quin animæ salutem in discrimen adduceret, quin me iacturæ exponat bonorum æternorum, quæ sola desiderare saltem cum sollicitudine deberem?

III. Tertium denique, quod orationem nostram reddit efficacem, nostramque confidentiam animare debet, est, quod, si Spiritum bonum petimus è spiritus sancti instinctu, eum à Patre nostro petamus.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, inquit gentium Doctor, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.

Rom. 8. v. 15.

Si is Pater noster est, nos filij ipsius sumus. Potestne Patri tam bono amor erga nos deesse? si verò amor ei deesse non potest, nunquid nos repellet, si cum confidentia ad eum accesserimus? vel potius, an non volupe ipsi erit, non modò preces nostras audire, sed & prævenire? & hæc est illa conclusio, quam Servator inde deducit:

Luca 11. v. 11. & 13.

Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare Filijs vestris, quanto magis Pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se? imò Servator discipulos suos modum orandi docens vult, ut orationem suam incipiant, Deum appellando Patrem suum: Pater noster, qui es in celis; ut eorum exci-

December. *ter confidentiam, eisque persuadeat, cum filij sint tam benigni Patris, nihil esse, quod imperrare ab eo non possint. Si preces tuæ effectum suum non fortiantur, causa est, quod confidentia te deficiat.*

Considera singulariter hoc nomen Patris, quo Deum appellas; cum orare incipis: nihil magis tibi inspirare confidentiam potest, nihilque efficacius est, ob quod exaudiaris, quam hæc confidentia.

Perite, & dabitur vobis. Matth. 7. 2.

Intelligere debemus, quia Deus, etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat.

Aug.

DIES XXV.

De Nativitate Domini Iesu Christi.

I.

Quemadmodum Christus in suo præsepi mundum condemnat, sic vicissim a mundo condemnatur. Cur, inquit, in paupertate, in humilitate, in ærumnis nascitur? an hoc Deo conveniebat? an non salutem æternam homini minoribus impensis comparare poterat? cum ad Cælum ducere nos potuisset via faciliori, &

2.

amœniori, cur nos ambulare jubet per *December.*
viam tam asperam, & difficilem? sic
mundus ratiocinatur; quia cæcus est, hunc
in modum forsan etiam tu ratiocinaris,
cum æquè, ac ille cæcutias. At quia Chri-
stus infinito lumine illustratus est, secus
ratiocinandum, & agendum esse putat.
Is in mundum venit antidorum superbiam,
proclivitati in corporis voluptates, avari-
tiam nostram allaturus, amorem divitiarum,
voluptatum, & sublimitatum in nobis de-
structurus, vel certè moderaturus; eas si
amasset, si quæsiisset, an separationem ab
ijs nobis inspirasset? an cupiditatem no-
stram non irritasset potius, quàm sanasset,
vel moderatus fuisset? si post tot humili-
tatis, paupertatis, & mortificationis ex-
empla, quibus nobis præluxit, nos hu-
miles, ab opibus alienos, mortificationi
addictos reddere nequivit; quid fieret, si in
ipso nonnisi æstimationem, & amorem
bonorum, voluptatum, & honorum ad-
vertissemus? an non adhuc magis avari,
voluptatibus dediti, & honorum cupidi
essemus? an non etiamnum eisdem plus
æquo inhiamus?

II. Christus venit, ut nos doceret Pa-
trem suum cognoscere, eum amare, eique
sincera, solidaque amoris nostri specimina

December.

præbere. Si divitijs, voluptatibus, & honoribus semper abundaremus, quam occasionem, amorem nostrum testificandi, haberemus? qualenam hujus, dare specimen possemus, quod vel debile, vel suspectum, vel proprium redolens commodum non foret? quidnam ei immolare possemus? an blandiri nobis de amore nostro possumus, cum nihil ei, quem diligimus, consecramus? Dum ipsius beneficia amo, quibus fruor, me ipsum amo: at qui scio, an illum diligam, à quo ea accepi? virtus Jobi, quamdiu is delicijs innatabat, diabolo vera virtus esse non videbatur; & Deus ipse simile iudicium ferre de illa videtur. Verum, si is, quem amo, sua mihi beneficia subtrahit, si quid est, quod ei consecrare possim, si occasio offertur aliquid propter ipsum patiendi; & ego eam amplectar, signum est, ipsum, non verò ipsius beneficia à me amari. Neque de hoc dubitandi locus relinquitur.

III. Christus Dominus viam ad cælum sternere nobis debuit, quam omnes terere possent. Media nobis æternam felicitatem merendi suppeditare debuit, quæ in nostra forent potestate, quæque omnes homines arripere possent. An verò omnes divites esse, an omnes Magnates esse,
an

an omnes gaudijs, & voluptatibus frui possunt? & si hæc esset via, quæ necessariò incunda foret, ut ad cælum pervenirent, quam multi forent, qui cogerentur eâ se abdicare? verùm omnes humiles, pauperes, patientes esse possunt: pluribus opus non est ad felicitatem æternam consequendam. Itaque vniverſi ad eam aspirare possunt. Licet divitiæ, voluptates, & honores maxima saluti sint obstacula, quanta nihilominus eos obtinendi cupiditate flagramus? quor lites, contentiones, imò & homicidia hanc cupiditatem non sequuntur? si tanto ardore cōsecramur hæc bona, quantumcunque periculosa, quantumcunque saluti nostræ funesta illa sint, quid actum fuisset, si media fuissent cælestifelicitate potiundi? quanta aviditate illa impetrare non contendissemus? quàm pauci sunt qui nobiscum de ultimo loco contendant? hæc tamen via tutissima est ad cælum perveniendi. Quantum hoc commodum?

Gratias Deo age, quòd ad cælum perveniendi tibi viam ostenderit: quantumvis ea sit aspera, commoda tibi videri debet; cùm nemo sit, qui eam ingredi non possit.

Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Io, 14. 6.

December. Filius Dei, qui semper in Patre veritas, & vita est, assumendo hominem factus est via: ambula per hominem, & pervenis ad Deum. *Aug.*

DIES XXVI.

De Dilectione Inimicorum.

I.

EXemplum, ipsiusmet Dei, ejusque patientia, qua inimicos suos toleravit, eisque ignovit, incitamentum est, quo Christus utitur; ut nos animet ad amandos nostros inimicos, eisque condonandas injurias, quas nobis irrogârunt.

Matth. 5. 45

Diligite inimicos vestros, inquit; qui oderunt vos, ut sitis Filij Patris vestri celestis, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Hoc exemplo nihil magis est admirandum; & nihil magis animare nos debet, si omnia illius adjuncta perpendamus. Offensæ, quæ contra Deum admittuntur, magnæ sunt, innumeræ sunt. Is infinito odio peccatum prosequitur; hoc odium continuo ipsum incitat ad vindictam; nec quidquam ei facilius est, quàm se vindicare: plus non requiritur, quàm velle.

is

is novit, quod sua in perferendis peccatoribus patientia eos reddat ad ipsum offendendum licentiores, & nihilominus eos tolerat, expectat, amat, protegit, eis benefacit illo ipso etiam momento, quo ab ipsis offenditur; & veniam offert, cum non nisi de ipso irritando cogitant. Quanta clementia! quantum exemplum! si hoc nos non mover, quid movere nos poterit?

II. Sed exemplum Christi Dei-Hominis in cruce morientis adhuc magis movere nos debet, quia magis sub seipso cadit. Hic ipsius clementia luculentissime se prodit; cum inimicis, & homicidis, qui cum cruci affixerant, non tantum ignoscat; sed & vitam suam pro ipsis immolet, qui tam crudeliter eam ipsi eripiunt, & suam in illos charitatem longius provehit, quam illi suam contra ipsum rabiem provehere poterunt. Tu ipse, inquit S. Bernardus, ipsius nunc amicus non esses, nisi adeo te amasset, ut etiam vitam suam pro te daret, cum inimicus ipseus esses. *Vide pendentem*, inquit S. Augustinus, *audi precantem*. Vide Servatorem tuum cruci affixum: vide ipsius patientiam, vide ipsius erga inimicos charitatem; sed fac, ut ex hoc exemplo

pro-

Décember,

proficias, ipse te orat, vel potius mandat, ut se imiteris: *Audi precantem, & tanquam de tribunali præcipientem.* Hoc est exemplum, quod S. Stephanum animavit ad tam generosè inimicis suis ignoscendum. Exemplum, quod homo aliquis hac super re nobis præbuit, satis ostendit, exemplum hominis - Dei inimitabile non esse. Hic erit causa tuæ condemnationis, nisi sit idæa, suæ imitationis.

III. Sed Christus inimicis suis ignoscere non contentus, etiam pro illis orat, imò & eos excusare conatur. Crudeles hi adversarij omnem ferè ipsius fudère sanguinem per vulnera, quæ ei inflixerant; At licet is totus exhaustus esset, in corde tamen suo charitate erga inimicos suos incenso remedia contra imbecillitatem suam invenit, atque elata voce clamat, ut Patri suo commendet, non dilectam matrem, sed inimos suos, sed interfectores suos. *Pater dimitte illis.* Ah! Pater mi, si specimina mihi præbere cupis amoris tui, ignosce adversarijs meis, quos ego veluti fratres meos considero, rogoque, ut eos in posterum filiorum habeas loco. Pater eum exaudit, cum pro inimicis suis orat; cum pro te orat: antequam repel-

les, quando gratiam à te petierit pro fra-
tre suo, quem non sine injuriâ inimicum
tuum esse credis? An non ipsius exemplo
& precibus moveri te patieris? partem è
meritis orationum ipsius non habebis,
nisi audias illas, quas ipse in gratiam ad-
versarij tui fundit.

*Examina te, an non aliquam offensam con-
tra proximum tuum animo foveas, & statue
quantocyus, cum eis in gratiam redire.*

Dimittite, & dimittimini. Luc. 5. 38.

*Stephanus pro lapidantib⁹ orabat, majus
aliquid morte Deo offerens. Greg. Naz.*

DIES XXVII.

De Præsepio JESU Christi.

I.

PRÆsepe, cui Christus recens natus
imponitur, thronus est amoris ipsius.
Et verò, ubinam ejus amor clariùs un-
quam resplenduit? ubinam plus habere
virium debet ad nostrum vicissim amorem
sibi conciliandum? Christus factus est ho-
mo, & infans, ut hominibus amabilem se
præberet. Amicitia Deum inter, & homi-

DETA

December, nem coalescere posse non videtur. Deus enim natura quædam est, quæ sub sensum non cadit: homo nihil, nisi ope sensuum cognoscit: an igitur aliquid inter eos commercij esse potest, quod tamen ad amicitiam contrahendam necessarium est? Deum inter, & hominem discrimen est infinitum; cum amicitia similitudinem exigit. Inter amicos perfecta esse debet bonorum communicatio; potestne homo naturæ adeò limitatæ, communicationis infinitæ capax esse? Christus natus, & in præsepi positus omnia hæc tollit obstacula? visibilis factus, & sociabilis: *In terris visus est, & in similitudinem hominum factus*, totum se donat homini, *Parvulus natus est nobis.* Imò Deus, qui in lege antiqua cum hominibus, veluti cum mancipijs erit, ubi naturam humanam assumpsit, illos amicos appellat: *Vos autem dixi amicos.* An non Divus Joannes, cujus hodie dies festa colitur, se JESU dicit amicum? an non tenerima, & solidissima hujus amoris signa ei præbentur? JESUS omnia sua arcana ei detegit, eum super pectore & corde suo quiescere permittit, in cruce dilectum filium suum appellat, eique, quod in mundo charissimum habet, Matrem nempe suam committit. Fuitne

Par. 3.38.

Philip. 3.7.

Isaia 9. 6.

Jo. 15. 15.

ne unquam amicus animi magis generosi, December.
& teneri, quàm Christus?

II. Præsepe Servatoris schola est sapientiae. Is Magistri munus exercere in eo jam incipit, dum exemplo suo nos docet, quod olim verbo docturus est; jam è præsepio suo dicit: *Beati pauperes, Beati, qui plorant, Beati, qui patiuntur.* Hic infans, qui in præsepio jacet, Deus est, infinite potens est, infinite sapiens est: Nihil eum ad hunc statum humilem, pauperem, & calamitosum, quàm proprium ipsius arbitrium deprimere potuit. Is est sapientia aeterna; ejus electio non nisi sapientissima esse potest: ac proin certissime elegit optimum. Cum itaque elegerit humilitatem, paupertatem, & ærumnas; utique istæ anteponendæ sunt dignitatibus, divitijs, & voluptatibus. An non mundus id ipsum, quod tu, hac de re sentit? Vel Christus, vel mundus decipitur: cujusnam sententiæ adstipularis? Si fidem consulis; ea in Christi sententiam abit: si cupiditatem tuam, vel tuam vivendi rationem consulis, ea à mundo stabit. Verùm, utri assentiendum, fideine, an cupiditati tuæ? Utra ex hisce duabus regulis rationi magis videtur esse consona? utram te securum fuisse

Matth. 3. 5.

December, voles, ubi is, qui modò Magister tuus est, iudex tuus erit?

III. Præsepe non schola duntaxat est sapientiæ Christi, sed etiam Tribunal iustitiæ ipsius: imò hic infans, qui plorat, jam fungitur officio iudicis, & suis lachrymis pronuntiat sententiam, quam olim contra mundum pronuntiabit. Jam dicit: *Væ mundo*: jam nunc execrationem vibrat in illos, qui mundum sectantur. Ipsius lachrymæ, ipsius fasciæ, loquuntur, inquit S. Bernardus, & jam dicunt. *Væ vobis divitibus, vae vobis, qui saturati estis, vae vobis, qui nunc ridetis.* Christus, qui in Præsepio solatium est pauperum, & humilium, terror est, & condemnatio Magnatum, divitum, & voluptatibus deditorum; cum horum status penitus adversetur statui Christi in præsepio jacentis. Et, si conformatio cum ipso, signum est, & causa certissima Prædestinationis, quidnam tantopere adversari Christo, aliud esse potest, quàm signum, & causa Reprobationis. Timete igitur, & deprimite vos, ô divites, & Magnates, dum Christum in præsepio jacentem spectatis. Hoc unicum est medium, miserias, quas vobis minatur, præveniendi.

Si

*Si pauper es, & calamitatibus oppressus; Decembem
solare te ad aspectum JESU nascentis: si opi-
bus, & delicijs abundas, deprime te, & treme,
ut intentatam tibi reprobationem evites.*

Quicumque ergo humiliaverit se, sicut
parvulus iste, hic major est in regno Cœ-
lorum. *Matth. 18. 4.*

Quos parvulus erudierit ad humilita-
tem, magnificabit postmodum, & glo-
rificabit magnus, & gloriosus. *Bern.*

DIES XXVIII.

Affectus Amoris In Deum.

I.

Jtes me; mi DEUS, ut amem te. Et
si te non amo, gravissimas mihi inten-
tas miseras. Estne major miseria, quam
te non amare? & ob hanc tamen mise-
riam; felicem me reputavi toties, quo-
ties peccato lethali te offendi. Omnia
tentasti; ut me ad amorem tui alliceres;
preces, promissa, minas, supplicia,
gratias, opes, beneficia, omnia impen-
disti. Erego nihil omisi, quo a tui amo-
re me averterem, poteratne mihi aliquid
decedere, si te amarem? vel potius, an

X

non

Deceml. cr. non omnia perderem, si te non amarem? cum enim te perdo, omnia, & meipsum quoque perdo. Volui, ut videretur, ostendere repugnantiam meam potentiae tuae parem esse. Ah! Domine, plus tibi necessarium non est, quam ut repugnantiae meae cedas, ut me severissime, iustissimeque punias. Ah! mi Deus, cuius alteri poenae lubens me subijcio; fateor quoque, me eam mereri, eamque a te flagito; ea mihi gratiae erit loco, si vindicare te vis, vindica te, repugnantiam meam superando, etiam me invito. Sed hoc amplius non fiet invito me: nam, ut mihi videretur, te amandi desiderio flagrare incipio.

II. Serum nimis erit, Domine, si te amare coepero, licet statim incipiam, & majore cum veritate dicere possim, quam fidelium tibi servorum quidam dixit: *Serò te amavi, pulchritudo semper antiqua, & semper nova, nimis serò te amavi.* Quantum hoc mihi confusionis, & doloris argumentum! Solatio mihi foret, si affirmare saltem possem, me denique incepisse. Sed, heu me! an amo te, mi DEUS? Ausimne dicere, quòd te non amem, etsi tot mihi suppetant te amandi causae? Si tam infelix essem, ut dicere hoc pos-

possem, omnes creaturæ, quas non nisi ad
meum usum condidisti, quæque mihi to-
tidem beneficia sunt, & grati animi incita-
menta, contra me insurgerent. Sed au-
deamne etiam asserere, quod te amem,
cum tot mihi occurrant rationes de hoc
dubitandi? Et si hoc assererem, an non
ingratus meus animus, meæ perfidiæ, so-
cordia mea in tuo cultu, mea tibi displi-
cendi, réque offendendi temeritas men-
dacijs me arguerent? Id, quod audeo, &
ut mihi persuadeo, dicere possum, est,
me desiderio teneri te amandi: dolor,
quem sentio, quod hætenus te non ama-
verim, timor, quem habeo, ne fortassis
te necdum amem, videntur mihi affirma-
te, quod saltem amare te desiderem.

III. Sed tuum est, O mi Deus, qui hoc
mihi desiderium inspiras, illud efficax
reddere: nam ego te offendere quidem
possum, atque te, & meipsum perdere
sine te! sed non possum te amare sine te,
neque hoc, ut oportet, desiderare. De-
siderium, quod sentio te amandi, mihi
asserit, te amorem tui concedere mihi
velle. Hoc ego enixè flagito, Domi-
ne, & asseverare ausim, me nolle am-
plius quidquam aliud petere. Poterisne
mihi amorem tui negare, tu, qui mihi

X a . præ-

December. præcipis, ut te amem? an non hac ratione à te ipso dissideres? hunc itaque acquirere cupio, quantiscunque tandem sumptibus: si eum emere oportet meorum bonorum, quietis, voluptatum, gloriae, vitæque meæ impensis. Omnia ex intimo corde tibi offero: Omnium bonorum meorum jactura lucrum mihi videbitur; si ea perdendo amorem tui consequi possum; hunc cum possidea, teipsum possideo; & si te, mi DEUS, possideo; an non satis dives sum?

Statue nihil à DEO petere, præter amorem ipsius, vel certè hunc sæpius, quàm omnia alia petere.

Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Cant. 8. 7.*

Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones, & dives sum satis. *S. Ignacii.*



DIES

DIES XXIX.

De Cælesti Paradiso, & Mercede Sanctorum.

I.

QUANTA diversitas est mercedem inter, quam Deus servis suis promittit, & illam, quam Magnates sectatoribus suis pollicentur. Remuneraciones Magnatum sunt incertæ; multa enim promittunt, sed parùm largiuntur; vel, quòd eorum voluntas sincera non sit, vel quòd sit mutabilis, vel quòd non omnia præstare queat. Verùm remuneratio, quam Deus servis suis promittit, certa est, quia Verbo Dei, & Christi meritis nititur; adeò, ut Pater æternus eum nobis negare non possit, quin admittat injustitiam, cum in filium suum, tum in nos; qui in ejus jura immissi sumus; tum etiam, quòd nitantur bonis operibus, quæ cum unita sint operibus Christi, jus certum nobis ad felicitatem æternam tribuunt. E centum hominibus, qui bona, quietem, vitamque suam obsequiis Magnatum consecrant, vix unus invenitur, qui tantam mercedem, quantam se mereri credit, accipiat; cum

December,

ramen hic unus unicus spem omnium aliorum alat. Certissimum est. Deum omnes servituti suæ addictos remunerari; & ramen hæc merces nos non animet?

II. Remuneraciones, quæ à Magnatibus promittuntur, magnæ esse non possunt; cum ipsimet, quantumvis magni videantur, tam sint pusilli, ut nihil magni largiri queant; eorumque potentia tam arctis terminetur limitibus, ut eorum liberalitas latè se extendere non possit, idcirco necessarium est, ut aliunde accipiant, quod alijs donare volunt, & donando opes suas imminuant. Arque hæc ratione vel eorum cupiditas, vel necessitas illorum liberalitati se opponit. At remuneraciones, quas Deus pollicetur Sanctis, magnæ sunt in suis fontibus, qui non alij sunt, quàm Bonitas, Sapientia, & Potentia Dei infinita. Sunt item magnæ in sua causa, quæ alia non est, quàm imensa sanguinis Iesu Christi virtus. Sunt magnæ in suo objecto, quod est Deus ipse, qui largitur modo omnium perfectissimo. Sunt magnæ in suis effectibus, quia, dum possessionem Dei nobis comparant, simul jus nobis tribuunt omnium bonorum, quæ ille complectitur. At quænam bona hic non complectitur? homo, præter
te,

re, Domine, magnus est; adeoque præ-December:
ter te nemo magnas dare remunerationes
potest, proindeque nemo dignus est, cui
impensè serviatur.

III. Si remunerationes, quas mundus
pollicetur, certæ, magnæque forent, mo-
dicæ tamen semper essent, quia breves sunt.
Sæpè enim diutius non durant, quam
voluntas eorum, qui eas nobis largiuntur,
vel ad summum, quamdiu nostra, eorum-
que durat vita: utraque verò ex omni
parte fragilis, & brevis est: at remunera-
tio, quam Deus promittit, æternum per-
manet, quia tamdiu perdurat, quam Deus
ipse, qui ejus est origo, & objectum. Bea-
ti felicitate sua excidere non possunt, ne-
per voluntatem Dei, quæ immutabili
est; nec per voluntatem propriam; cùm
enim Deum semper intueantur, constitu-
ti sunt in necessitate felicissima, eum sem-
per amandi; ac proin in impotentia, eum
nunquam offendendi; & quod conse-
quens est, amittendi. O beatam impo-
tentiam, quæ illorum felicitatem constan-
tem reddit, & æternam! Eheu! mundus
remunerationes pollicetur incertas, leves,
breves; & nihilominus ei sollicitè servi-
mus, omnia agimus, omnia parimur, o-
mnia ei consecramus. Tu Domine, spon-

December. des remunerationes certas, infinitas, sempiternas; & tamen famularui tuo facile nos subducimus, ignaviter tibi servimus. Quanta injustitia!

Si difficultatem senseris aliquid propter Deum agendi, cogita, quid agas, & egeris pro mundo, qui tam malè remuneratur.

Cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus. *2. Tim. 4. 8.*

Promittit mundus temporalia, & parva; & servitur ei aviditate magna; ego promitto summa, & æterna; & torpescunt mortalium corda. *Imit. Chri. l. 3. c. 3.*

DIES XXX.

De Sipientia Dei.

I.

DEus est Sapiens, quia se cognoscit; & est infinite Sapiens, quia se perfecte cognoscit; estque necessario Sapiens; quia, sicut non potest non esse, sic non potest se non cognoscere. Præterea in suis cognitionibus ab objecto independens est, quia, sicut omnia in seipso comprehendit, sic etiam omnia in semetipso cog-

no-

noscit. Atque ita discere nihil potest; *December,*
 cum novi aliquid cognoscere non possit.
 In natura, & potentia sua, quasi in specu-
 lo, videt non modò præterita, & futura,
 sed ea quoque, quæ fieri possunt: hæc e-
 nim in ipsius Sapiencia aliqua ratione exi-
 stunt, qua ratione in seipsis nunquam exi-
 stent. Res omnes creatæ in Sapiencia di-
 vina modo perfectiori, quàm in sua natu-
 ra subsistunt. Res temporariæ in Sapien-
 tia divina sunt æternæ; res mutabiles in
 ea prorsus sunt immutabiles. Res sensu
 carentes, & inanimatæ in eo vita sunt. *Quod fa-*
 Id, quod in se amplius non est, etiamnum *ctum est, in*
 est in Sapiencia divina; & id, quod non- *ipso vita e.*
 dum est, in ipsa jam existit. Hæc Sapien- *rat. 10. 1.*
 tia comprehendit æternitatem Dei; quin
 eam circumscribat, ejusque immensita-
 tem, quin eam metiatur.

II. Hæc Sapiencia seiprodit in creatione
 omnium rerum, super quas, ut ait Sapiens, *Effudit il-*
 ei placuit se effundere. Si ea cognoscitur in *lam super*
 creatione cælorum, in grandi illo numero *omnia opera*
 stellarum, quæ tantum à se splendorem e- *sua. Eccl. 1.*
 mittunt, quæ supra capita nostra cum tan- *10.*
 to ordine gyrauntur, quæ tam exactè di- *Omnia in*
 versa anni tempora definiunt, quæ tantâ *sapientia fe-*
 abundantia influxus suos nobis impertiun- *cisti*
 tur; certè non minus ferè admiranda est *psal. 103.*
24.

December. in procreatione minimi floris, vel culicis. Si resplendet in creatione animæ humanæ, in intellectu, qui nullo terminari objecto potest, in voluntate, quæ capacitatem habet ferè infinitam; in memoria, quæ præterita revocat, remotissima colligit, inter se penitus opposita rursus conciliat; tum etiam elucet in corporis humani structura, in multitudine ferè innumera organorum materiâ penitus diversorum, in eorum figuris, motibus, situ, & functionibus; cum tanta tamen concinnitate ad eundem finem directa. Verùm si spectetur divinæ naturæ in Christo consociatio, mundi redemptio, peccatorum in justos coopratio, electorum prædestinatio; hic cum Propheta exclamare cogor: O!

Psal. 146.
v. 5.

III. Si Deus suprema est Sapiencia, concludamus, necesse est, eum longè plura facere posse, quàm nos comprehendere valeamus. Itaque malè ratiocinamur, si dicamus, rem ita se non habere, idcirco, quòd eam non comprehendamus. Si Deus est Sapiencia suprema, suprema etiam veritas necessario esse debet; itaque neque decipere potest. Propterea, si veritatem aliquam mihi revelat, etiam si eam non concipiam, certior ea mihi videri debet,

bet, quàm si eam clarè viderem. Si ipse
est suprema Sapiencia, omnia semper opri-
mè agit: an igitur melius quid agere pos-
sum, quàm, si cæci instar ejus ductui me
committam? hunc in modum cæcutire,
est infinito lumine illustratum esse. Pos-
sumne errare, si ducem sequar Sapienciam?
si Deus suprema Sapiencia est, tunc omnia
cognoscit, omnia videt. Quomodo
ergo aliquid committere auderem, quod
eum irriter? oculus iste, ut inquit Sapiens,
sole clarior, conscientia meæ intima scru-
ratur, abstrusissimas cordis mei latebras
penetrat; quantâ vigilantia mihi non o-
pus est ad omnes ejus motus observandos?
Poterone concedere, ut cor meum vel u-
nicum vitiosum admittat motum?

December.


*Statue divina Sapiencie ductui penitus te tra-
dere, ab hac Sapiencia duci se non sinere, est in-
sanire.*

Oculi Domini centies millies clariores
sole, inspicientes omnes vias hominum,
& intuentes in absconditas partes. *Eccli.*
23. 38.

Ordo temporum in æterna Sapiencia si-
ne tempore est; nec aliqua apud illum
sunt nova, qui fecit, quæ futura sunt.
Prosper.

PRO

December,



PRO ULTIMA ANNI DIE.

Quî Reparari Possit Tempus
perditum.

I.

ECce! finem anni attigisti; an non hic finem imponet perfido, & ingrato animo tuo? quomodo per hunc anni decursum vixisti, vel potius, an verè vixisti? Deo enim non vivere, an vivere est? poterisne dicere, vel unicam hujus anni diem à te integrè fuisse Deo consecratam? vel unicam actionum tuarum ad eum unice fuisse directam? cum tamen scire te oportet, omnia, quæ pro Deo facta non fuere, tibi periisse. Quanta jactura! Eheu! quot media salutis neglecta! quot gratiæ contemptæ, quantum temporis malè consumptum! qua ratione jacturas hæc sarcire poteris? id præstare, nisi per fervorem nostrum, non possumus: Viator, qui in itinere inutiles moras traxit, videtque multum sibi restare viæ, & modicum diei, diligentia, & fervore suo sarcire moras suas conatur. Quidnam hætenus vita fuit,

fuit, nisi inanis occupatio, & inutilis mo- Decembez,

ra? cur igitur gressus non acceleras? cur
admonitioni Servatoris non obsecundas,
dum nos hortatur: *Ambulate dum lucem* IOAN. 12. 35
habetis, ut non vos tenebræ (nempe mors)
comprehendant? hæc forsan propiores sunt,
quàm cogitas. An polliceri tibi potes, te
novi anni visurum initium?

II. Verum, tamen exploratum tibi fo-
ret, te ineuntis anni auspicia visurum,
quis tibi promisit, eum non fore vitæ tuæ
postremum? quàm multi juniores eum au-
spicantur, qui ejus finem non videbunt:
quod ipsis continget, tibi quoque contin-
gere potest. Quis enim scis, fore, ut idem
& tibi non accidat? Si quis Dei nomine
significaret, te hoc anno moriturum, qui
eum transigeres? quanto fervore non stu-
deres singula ejus momenta piè impendere
peccata, & peccandi occasiones vitare,
fidelem te omnibus ejus gratijs præbere,
bonorum operum exercitio, poenitentia
praxi te occupare, & ad virtutes præcipue
tibi necessarias acquirendas incumbere? an
nimis cautè agere possumus, ubi de æter-
nitate agitur? nihil est, nisi fervor,
quem in præsentiarum concipis, quod
prævertere possit poenitudines inutiles,
quæ in morte te torquebunt.

III. An

December.

III. An fervor deesse tibi potest, si cogites, te Deum habere, cui satisfaciendum; animam, cui salus æterna comparanda; terribiles hostes, quibuscum dimicandum, judicium tibi instare, quod tibi formidandum, infernum, qui tibi evitandus, Paradisum cœlestem, qui impetrandus? O quantæ res! imò quanta fervoris incitamenta! Deo satisfacere te oportet; qui, cum multum tibi dederit, multum à te requirit; & à quo multum expectas: an non omnem lapidem movere te oportet: ut ei satisfacias? animam tuam ad felicitatem æternam promovere te oportet: hoc est negotium tuum, hoc est negotium summi momenti, hoc est negotium tuum unicum: agitur enim pro te, de toto te, & pro omni æternitate: quid igitur tibi non tentandum ad salutem eidem consequendam? Pugnandum tibi cum hostibus formidandis, & vigilantibus. An pluris ipsorum interest perditio tua, quam tuâ interest salus tua? qui igitur sit, ut illi ram ferventes sint in tuam perniciem, & tu adeo quietus, vel potius socors pro salute tua? Timendum tibi est judicium, quod est proximum, quod erit severum, cujus effectus erunt horreni: an nimium præ-

præcautionis adhibere potes, quâ ad illud te præpares? evitandus tibi est infernus: ea propter omnes pœnæ quantumvis magnæ, leves tibi videri debent, si re â tanta miseria tueahrur. Obtinendus tibi est cælestis Paradisus; itaque labores omnes dulces tibi videri debent; cum eorum sit Beatitudo sempiterna.

Statue reparare fervore tuo tempus negligentia tuâ perditum, & considerare annum novum velut vitæ tuæ postremum.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes. 5. 16.*

Ne tempus rebus necessarijs utile, non necessarijs conteramus. *Aug.*

FINIS.



INDEX